





875  
DISSE<sup>15</sup>  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA,

DE

MVNERE TUTELARI  
HAVD GRATVITO,

EX JVRE STATVARIO HAMBVRGENSI,

P. III. Tit. VI. Art. XX.

QVAM

ANNVENTE DIVINA GRATIA,

AVCTORITATE ET CONSENSV

INCLYTI JVRIIS CONSVLTORVM ORDINIS

INCELEBERRIMA ROSTOCHIENSI

ACADEMIA,

SVB PRÆSIDIO

MATTH. BENONI HERING,

J. V. D. ET PROF. COD. DVCAL. PVBL. ORD. AC FA-

CVLTATIS JVRIDICÆ h. t. DECANI,

PATRONI AC STVDIORVM SVORVM PROMOTORIS

HONORATISSIMI,

PRO SVMMIS IN VTROQVE JVRE CONSEQUEN-

DIS HONORIBVS AC PRIVILEGIIS.

D. 6. MAJ. ANNO 1738.

H. L. Q. C.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SISTIT

HIERONYMVS HARTWIG  
MOELLER.

Hamburgensis.

---

ROSTOCHII,

Typis IOH. IACOBI ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

MÖLLEFJÄRD



*INCLYTÆ AC SACRI ROMANI  
IMPERII,  
LIBERÆ REIPVBLICÆ  
HAMBVRGENSIS,  
SENATVI SPLENDIDISSIMO  
ILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS CONSVLTIS-  
SIMIS AMPLISSLIMIS  
CONSVLIBVS,  
SYNDICIS,  
SENATORIBVS,  
PROTONOTARIO,  
SECRETARIIS,*

A 2

PA-

PATRIAEPATRIBVS  
VIGILANTISSIMIS  
AC PRUDENTISSIONIS.

HASCE STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS  
JVRIS PATRII PARTICVLAM ILLVSTRANTES  
CVM VOTO PERPETVÆ AC OMNIGENÆ FELISITATIS  
EX DEVINCTISSIMI ANIMI LEGE

SACRAS ESSE CVPIT

HIERONYMVS HARTWIG MOELLER,

# PRÆFATIUNCULA.

Cum Prænobilissimus Dn. Candidatus de quodam ad disputationem inaugurem ex jure patrio de prompto, digno circumspiceret thermate, & me tanquam Præsidem, hujus electionis vellet participem, ipsi deesse nefas duxi. Varia in Jure Statutario se offerebant argumenta, a Jure communi divortium facientia, adeo, ut eligendi oppido se proderet difficultas, donec tandem in presentem art. XX. Juris Statutarii incideremus, super quo, quantum quidem novimus, nemo speciatim commentatus est. Ast alia obstat videbatur ratio, quo minus materia electa retineretur, quoniam MOLLENBECIUS & MENCKENIUS *de Salario tutorum & curatorum* jam scripsissent, & ita fortean quis nimis præcipitanter in eam ruere posset opinionem, quasi haec folia de charta in papyrus translata continerent, crambemque bis coctam apponenter. Verum quod attinet ad MENCKENIVM, ille neminem quidem nostri statuti fecit, imo ubi occasio tulerit, fideliter tam in consensu, quam diffensu a Dn. Candidato est allegatus. Prioris copia non fuit data; interim non credendum, hanc tractationem cum ipsius coincidere, dum in explicando & illustrando Statuto Prænobilissimus Dn. Candidatus suas ingenii exercuit vires. Legantur ergo illorum disputationes, legatur quoque haec, & statim in oculos incurret differentia. Vale! B. L. & auctor hujus dissertationis pariter ac mihi fave.

A 3

Q. D.

*Q. D. B. V.*  
SECTIO PRIOR.

De

Munere tutelari ingenere.

Summaria hujus Sectionis.

- I. Facit ingressum, & de habendi libidine pauca adferit.
- II. Hec ad munus tutelare applicat & de ejus utilitate differit.
- III. Obligationem hujus mutneris, de qua inter summos imperantes vix quæstio movenda, innuit,
- IV. Obligationem hanc ex Jure naturali derivat.
- V. Quid Jure civili obtineat? ostendit.
- VI. De tutela pacitaria & ejus obligatione agit.
- VII. Definitionem tutelæ exhibet.
- VIII. Species tutelæ indicat.
- IX. Quid de his secundum hodiernam praxin statuendum? habet.
- X. Hanc materiam continuat, & exemplis illustrat.
- XI. Quæstionem movet: utrum Notariis Jus confirmandi tutores competat? ubi simul affirmantium potiora adducuntur argumenta.
- XII. Nostram fistimentem cum rationibus stipatam.
- XIII. Contraria argumenta refutat.
- XIV. Ad quidnam magistratus in dandis & confirmandis tutoribus respicere debeat? observat.
- XV. Ad quasnam personas hoc munus primario pertineat, evolut.
- XVI. Quid de Judæis statuendum?
- XVII. Quid de pontificiæ religioni addicctis?
- XVIII. Finem huic sectioni imponit.

Sectio



## SECTIO PRIOR. De Munere tutelari in genere.

§. I.

**T**Am altas in hominum animis, vocabulum utilitatis, egisse radices, ut haud raro conscientiae recti incuriosi, actionum suarum bonitatem ex quæstus inde proveniente, metiri non vereantur, licet hoc nomine omnem exuisse æquitatem, & induisse iniquitatem videantur, ecquis est, quem fugiat? Quare etiam, munere quodam vacante, cui sat ampla destinata sunt salarya, & cuius administratio exigui est laboris, minimique periculi, statim competitores adiungunt multi, nullum non moventes lapidem, ut huic præficiantur, sæpe imo sapissime nulla habita qualitatum ratione, quæ oppido in hoc desiderantur, modo magna bonorum speranda inde sit accessio: contra vero si officium in Republica subeundum venit, cuius quidem utilitas pariter in aprico est, sed quæ non in administrantern redundat, verum ex quo commune commodum magna capit incrementa, & quodammodo sustentatur, conservaturque; tunc vix unus aut alter, quid? quod fere nemo invenitur, qui illud lubenti animo sibi imponi patiatur, publicam salutem antelaturus privatæ,

Qualia

## §. II.

Qualia ergo fata tutelare habeat speranda munus? facile est conjectu, cum regulariter hoc administranti, non utilitatem solum adferat nullam; verum fere semper cum molestiarum mole coniunctum sit. Interim Reipublicæ intuitu, pariter ac impuberum, hoc officium evadere utilissimum necessariumque, multis probatum dare argumentis, non opus remur. Nam splendorem ac felicitatem Rerum publicarum tam a prudentia ad gubernacula sedentium, quam a civibus subditisque bene educatis, atque opibus pollutibus esse derivandam, omnes inter constat. Si itaque parentes præmatura eriperentur morte, relinquentes orphantos ac pupillos, piis & dissimisque eorum monitis, nam paternum affectionem vincit nullus L. pen. pr. C. de cur. fur. prius formandos, imbuendosque, nemo reperiatur, hanc in se suscepturn curam, eorumque vice functurus, tandem civitates ini doneis implerentur, civibus, quibus nec tuto regimen quoddam concredi posset, nec qui rerum suarum dispensatores audirent frugales. Prudentiam vero nulli mortalium adnasci, sed docentium dexteritate per varias regulas, se sua utilitate commendantes, & a longo rerum usu desumptas, implantandam esse, dubio caret omni. Eleganter SENECA. *Educatio maximam diligentiam, plurimaque profuturam desiderat.* Facile est enim teneros adhuc animos componere, difficulter reciduntur visio, qua nobiscum converunt. Hinc cum Reipublicæ expeditat maxime, bonos habere cives, recteque formatos, & pupillorum pariter non minus intersit, bona illorum conservari, ac quantum fieri potest, augeri; jutissime quoque infertur: minus tutelare propter utilitatem & necessitatem esse introducendum. Ita enim, ut scribit HAHN ad WESEN. tit. de tut. n. 3. pueri, in quibus est seminarium civitatis, recte educantur, quique parentibus orbi sunt, ab aliis tanquam parentibus iuxta

juxta naturalia principia reguntur & defenduntur, suo & Reipublicae emolumento.

§. III.

Demonstrata itaque utilitate & necessitate, nunc quoque dispiciendum erit de obligatione, qua quis obstrin-gitur ad hoc suscipiendum munus. Verum quidem est, si nobis de summis imperantibus, in statu naturali vi-ventibus, sollempmodo fermo esset, plane hanc curam posse haberi supervacaneam, quoniam quisque eorum hoc munus tantum abest, ut declinet, ut potius illud magna cum contentione ad se pertinere defendat. Ratio in pro- clivi, nempe proximum jus succedendi habentem, propter suum interesse non facile concessorum, ut alius terri-tori*ii* consequatur possessionem, fortasse minus recte suo functurus officio. vid. *Dn. a COCCEJI Disput. de Titulis Illu-srium.* Sed quia circa obligationem hujus munieris suscipiendi in genere, nullo habito respectu ad certas per-sonas, occupati sumus, operam nostram ceu vanam per-didisse haud arbitramur, si eam paulo altius rimemur, & ob oculos ponamus, ex quo jure illa sit derivanda, & ex quo complementum acceperit?

§. IV.

Et hic primo extra dubitationis aleam positum esse judicamus, hanc obligationem quoad principium juri na-turali esse adscribendam, quia ex regulis beneficiorum ho-minibus impositum, ut alter in alterum egentem gratis quid conferat, & metam illam, quam ipsa natura nobis præfixit societasque communis cultus, nihil ferit pro-pius, quam si alios calamitate pressos, suppressi haud pati-amur. Ecquis vero majoribus miseriarum fluctibus im-mergi posset, quam pupillus, si nemo auxiliatrices porrigere manus, & ejus commodum promotum ire velle? Quamobrem in sacro codice etiam tam multa dicta repe-tiuntur, in quibus Deus severissime & adjecta pena pra-cepit,

B

cepit, ut pupilos & orphantos modis defendamus omnibus, injuriamque ab iis arceamus. Conf. *Exod. XXII. 22.*  
*Psalm LXXXII. 3. Et. I. 17.* ReEtissime ergo afferitur: Naturali juri esse conveniens, ut is, qui perfecte & atatis non fit, alterius tutela regatur. §. 6. f. de *Attil. Tit. add. Illustr. BOEHM: in Jur. Dig. Tit. de Tit. §. 2.* Unde quoque ex hac naturali hominum mutua coniunctione, nam natura cognationem quandam inter homines constituit. L. 3. ff. de *Jus. & Jure*, fere omnes gentes tutelam approbarunt, adeo ut princeps gentilium HESIODVS, ut illum vocat SCHILT. ad ff. *Exercit. 37. S. 2.* juris tutelæ violationem atrocioribus comparet criminibus, quibus DEUS irascatur, & tandem gravem exhibeat rationem. Cui adstipulatur PLATO *Lib. XI. de LL.* dicendo: *Pupillum esse pretiosissimum & sacratissimum depositum,*

## §. V.

Verum enim vero licet hæc in dictamine rectæ rationis sint fundata, & radicata, ac aptissimam materiam insignem parandi laudem, si magnitudo animi & prudenter eadem rite temperaverit, præbere possint PUFEND. de O. H. & C. Lib. I. c. 8. §. 5. Non tamen obligatio, quæ inde evolvitur, hujus est indolis, ut coactio nem quandam fecum ferat, sed implementum ejus cuiusvis pudori relinquitur. Interim quia mortalium conditionis per lapsum protoplastorum magnum decrementum sensit, & voluntas eorum adeo depravata, ut non semper ea, quæ juris naturalis sunt observent, & ultiro in se suscipiant, quamvis ad commune commodum promovendum admodum necessaria sint, quorsum etiam tutela referenda omnino est, ut §. 2. probavimus; hinc jus civile huic malo obviandum, obligationem in jure naturali jam fundatam & ex humanitate fluentem, ita munivit, & valentiorem reddidit, ut nolens volens quis, nisi justas allegare posset causas, oneri tutelari se submittere teneatur.

tur. Pr. I, de Excus. Tit. L. 2. §. I. ne de statu defuncti. Quare UPLIANUS L. 6. ff. de Just. & Jur. dicit: *Jus civile est, quod neque in totum a naturali vel gentium, recedit, nec per omnia ei servit: itaque cum aliquid addimus vel detrahimus iure communii, jus proprium, id est, civile efficiemus.* Nec cives inde justam naetii sunt conquerendi causam, quasi per necessitatem hoc munus subeundi ipsis laesio esset illata, dum administrationi honorum papilli, juxta ac educationi vacando, res proprias vel negligere deberent, vel ad minimum tanta industria gerere non possent, quam si ab hoc onere saepe difficillimo immunes forent; nam omnem id, quod in commodum impenditur, de eo aut singulari re vera participant, aut tamen paticipare possunt. Si itaque & tibi continget; omnium enim movetur urna, ut summi illius imperatoris DEi jussu, stationem tuam praeferentia opinionem deserere, & vasa tua colligere deberes, relinquens orphanos ac pupilos, nonne tunc etiam certa ac dulcis affulget spes, fore ut concives tui idem officium in gratiam tuorum accipere teneantur, quod tu tibi in gratiam aliorum libenter imponi passus fuisti.

## §. VI.

Antequam autem obligationem ad tutelam suscipiendam missam faciamus, paucis adhuc inquirendum erit, quid de pactitia tutela statuendum, num et hæc perfectam suam obligationem a jure civili sortiatur, an ea ex ipso jure naturæ jam agat? Est vero tutela pactitia, quam quis ex conventione inita, gerere tenetur, dum se alteri obligavit, se velle post fata ipsius liberorum suorum curam habere. Et hæc solet quarta species tutelæ a nonnullis vocari, et si quodammodo ad confirmatam testametariam re errari posset, uti afferit STRYCK U. M. Tit. de Tutel. §. 14. Sed quamvis ibi dicatur: hanc speciem esse imperfectam, quia speciali confirmatione indiget, hoc tamen nihil ad ejus imperfectionem secundum hodiernam

praxin involvit, dum omnes tutores sunt confirmandi a magistratu per Ord. pol. de anno 1577. tit. 32. §. 2. cum qua etiam consentiunt STAT. HAMB. P. III. Tit. VI. Art. 2. Et sicuti pro tutele testamentario militat presumptio testatoris, quod per illum omnium optime liberis suis prospexit; ita & eadem obtinet ratio in tute ex pacto dato. Interim hanc tutelam juri naturae prorsus esse convenientem & efficacem producere obligationem, etiamsi jus civile deficeret, omnino affirmandum, quoniam ex aequitate naturali omnia pacta deliberato animo inita, sancte sunt servanda, & sufficiet in testimonium citasse verba egregia PUFFEND. de J. N. & G. L. III. c. 4. S. 2. Igitur religiosissimum juris naturalis preceptum & quod universa humana decuit, modum, atque rationem temperat, habetur: ut quilibet fidem datam servet seu promissa atque pacta compleat. Exempla hujus tutelæ pactitiae & quæ alias circa eam scitu sunt necessaria habet Ill. Dn. LEYSER in Med. ad Pand. Specim. 328. per tol.

§. VII.

Considerata quoque obligatione, qualquis obstrin-  
gitur ad tutelam fulcipiendum, nunc progrediendum no-  
bis erit ad ejus descriptionem; Nolumus tamen in nova  
artificiose construenda laborare magnopere, sed illam re-  
tinere, quæ in §. I. J. de Tut. & L. I. pr. & L. I. pr. ff. de tut.  
invenitur, licet multos multa circa eandem munendam ha-  
bere haud ignoremus, quibus etiam ab aliis satisfactum  
Describitur autem ibi: quod sit vis ac potestas in capite libero ad  
tuendum eum, qui propter atatem se defendere nequit, jure civili  
data ac permissa. Explicatione operosa hujus descriptionis  
merito superedemus, utpote ubivis obvia, hoc duntaxat  
indicatur, Romanos inde collegisse, tutelam esse munus  
publicum, quia describitur per vim ac potestatem jure ci-  
vili datam ac permissam. Munus publicum enim dicitur, quod  
necessario obimus lege, more, imperio eius qui iubendi habet potes-  
tatem. L. 214. pr. ff. de V. S. vid Illust. Heineccius in Element. I.  
S. 204;

§. 204. Et hanc necessitatem in tutelis recipiendis leges intendisse maxime, vel inde quoque conjiciendum, quod, tamet si quis munera publicorum immunitate gauderet, tamen sub generali immunitate non comprehendebatur exceptio a tutela & curis L. 15. §. 12. ff. de Excus. Deinde etiam ex illa descriptione fluit, pupillum sui debere esse juris, ergo qui adhuc est in patria potestate tutor non indiget, adeo ut neque pater ipsius, tutoris naturalis nomine salutari possit, quia haec potestas, longe potentior, nuda illa vi ac potestate tutorum; imo nec patrem posse liberis suis, quos in sua potestate retinuit, tutorem dare, nisi eos emancipaverit, & e sacris paternis dimiserit, rectissime inde infertur. Tandem & haec descriptio insinuat, in quonam officium tutoris constitut, nempe, ut illum defendat, quæque defensio tam curam educationis bonorum subse comprehendit quam administrationis.

### §. VIII.

Quandoquidem vero Reipublicæ salus postulat, cui etiam impuberes nati dicuntur L. I. §. 15 ff. de ventr. in poss. mitt. & æquitas naturalis svadet, commodum illorum, qui ob defectum ætatis rebus suis prospicere nequeunt, modo promovere omni, & hoc munus magistratus ipse propter varias occupationes, ad utilitatem publicam spectantes, expedire non valet, quamvis semper maneat supremus tutor, der Ober-Bormund; hinc aliis personis haec cura imponebatur; unde factum, ut tres tutela species constituta, scilicet: testamentaria, legitima, & dativa, cui ultima tamen locus non erat, nisi testamentaria & legitima deficeret, & inter has etiam prior posteriori præferebatur, dum pater omnium optime liberis suis providisse præsumebatur, adeo ut tutor testamentarius pariter ac legitimus, ille puta ex testamento, hic vi sauginis a lege, sine confirmatione magistratus admitterentur, modo non

B 3

defe-

defectus quidam tam ratione dantis quam accipientis  
occurreret.

### §. IX.

Ast cum hodie omnes tutores confirmandi secundum Rec. Imp. de anno 1548. tit. 31. §. 2. & 1577. tit. 32. §. 2. haud immerito queritur: an haec tutela divisa adhuc usum habeat, an potius hodierni tutores sive testamentarii sive legitimi, propter confirmationem pro dativis accipiendi? Nullum usum hujus distinctionis superesse, nisi quod magistratus eum, quem pater in testamento nominavit, nec non hoc deficiente, legitimatum ante omnes alios extraeos confirmare obstrictus sit, affirmat LUDOV. Us. pract. dis. jur. Tit. de tut. dis. 1. cui opinioni calculum adjicit HUBER in Pral. ad ff. de testam. tut. §. 3. scribendo: Moribus hodiernis postquam ius illud excellens patria potestatis apud plerasque gentes ab usu recessit, tutores omnes videntur ut impropre dati, testamento confirmari, quia indistincte confirmantur a magistratu add. BEYER ad ff. de tut. contra usum hujus distinctionis, etiam post necessariam omnium tutorum confirmationem adhibendam remansisse, quia in d. Recess. ubi confirmatione præcepta, differentia tutorum non est sublata, qua & fere in omnibus locorum statutis, uti & in Stat. Hamb. P. III. Tit. 6. artic. 1. factum, expressis verbis confirmata reperiatur, defendit STRYCK U. M. de tut. §. 13. Distinctio tamen hac in controversia procedit III. BERGER in Oecon. Jur. L. 1. tit. 3. §. 2. adserendo: differentiam adhuc hodie adesse quoad tutela constitutionem, non vero quoad constituta administrationem, quoniam per confirmationem determinum tutori administratio confertur. Atque hoc in Repl. Lauterb. tit. de conf. tut. probatur exinde, quod omnis tutela eti non confirmatione tamen decreto opus habuerit, quo inventario prius publice facto res descriptæ tutori tradebantur, L. ult. §. 2. G. arbitr. tutel. uti vero hoc decretam non

non sustulit differentiam tutelæ, ita nec jure Recessum  
imp. confirmatio, quæ in locum illius sufficet.

## §. X.

Interim tamen, licet etiam concedamus, non omnem  
tutelæ differentiam per confirmationem sublatam; tamen  
hoc non ita intelligendum, ac si magistratus arbitriū hic  
esset excludens, & ei necessitas imposita, tutorem in testa-  
mento datum, aut hoc non existente, legitimū confir-  
mandi, quamvis etiam deprehenderet causas, ob quas pu-  
pillo prorsus non expediret, vel testamentarium vel legitimi-  
num habere tutorem, sed potius rebus sic se habentibus,  
plane non potest eum confirmare, nec debet. Nam sicut  
iure Romano iis in casib[us], quibus confirmatio necessi-  
tatis erat, tamen magistratus arbitriū non excludebatur,  
sed in primis requirebatur, ut pro sua prudentia delibera-  
ret, an præstaret, datum eligere nec nec? prout expressis  
cautum legitur verbis in L. 10. ff. de confirm. tut. Utilitatem  
pupillorum Prator sequitur non scripturam testamenti vel codicillo-  
rum: Nam patris voluntatem Prator ita accipere debet, si non  
fuit ignarus scilicet eorum, qua ipse prator de tutore comperta ha-  
bet. Eodem modo hodierna confirmatio in Recess. Imp.  
mandata, est accipienda, puta: ut magistratus ad quem  
confirmatio pertinet, prius inquirat, an idonei sint ad tu-  
telam gerendam, an non? & sic hodie omnis confirma-  
tio cum inquisitione fieri debet. Quare si quis in testa-  
mento tutor esset datus, qui a vivo testatore dignus &  
idoneus est habitus, cui tutelam liberorum suorum com-  
mitteret, postea autem ubi confirmandus, Magistratus ex-  
ploratum haberet, eum esse inidoneum, ac fidem bona-  
que decoxisse ac perdidisse, quis tunc absque ingenti pu-  
pilli damno auderet afferre, hunc nihilominus, quia in  
testamento constitutus, eligendum, confirmandumque?  
Id quod etiam ad eum, qui ob sanguinis vinculum ad tu-  
telæ gestionem vocatur, applicatum volumus, nam ubi  
gadæm

eadem est ratio, ibi eadem est juris dispositio. Hæc dicta approbata sunt in Stat. Hamb. Part. III Tit. 6. art. 10. ubi: Und iwofern unter der Freundschaft darzu qualificirte Personen nicht wären, oder sonst bewegliche und genugsame Ursachen vorhanden, warum dieselben zu der Vormundschafft zu gebrauchen unrathsam, als den andern se.

### §. XI.

Nunc quidem nos juberet ordo ostendere, ad quemnam judicem spectet hæc confirmatio? verum cum per se pateat, hanc hodie fieri debere a magistratu jurisdicitionem habente competentem, tam in pupillum quam in tutorem, ac propterea in omnibus, commentariis hoc inveniatur, merito sicco pede illud transimus; loco ejus enucleaturi questionem, an etiam hæc confirmatio a Notario perfici queat? Et profecto non negandum, sat multa & speciosa ab affirmantibus in medium proferri argumenta, quibus suam stabilire volunt opinionem, quorum quædam duntaxat attigisse sufficiet: Primaria vero sunt, quod Notarii in instrumentis creationis suæ judices vocentur, sicuti verba diplomatica Imperatoris RUDOPHI II. glorioſissimæ memoriae, vi cuius in hac Academia Decano Facultatis Juridicae, ceu comiti palatino, facultas creandi Notarios clementissime concessa, sonant: Ihr Amt berührend, gebrauchen, treiben, üben und nützen sollen, und mögen als andere gemeine öffentliche Schreiber, Publici Notarii genannt, und Richter. Unde jurisdictionem Notariis eise adscribendam inferunt, & hoc exinde eo magis corroborare annituntur, quod variis valide coram illis peragantur actus, alias ad jurisdictionem pertinentes, sc. examen testium, quo partes suam probare intendunt causam, interpositio appellationis, ordinatio testamentorum &c. Firmissimum autem sua opinionis præfidium derivandum putant ex L. 2. ff. de Jurisd. ubi: cui jurisdictione data sit, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictione explicari

*eari non potuit : Hinc ita ratiocinantur.* Si actus quidam coram Notario celebrari potest, & contrahentes absque constitutione Tutoris & curatoris eum inire valide haud valent, sequitur, ut tunc & datio & confirmatio tutoris Notario debeat esse permissa ; cui enim actus permittitur, illi etiam media ad eundem necessaria permittenda,

## §. XII.

Non obstantibus autem rationibus adductis, nihilominus tamen contraria applausum meretur sententia, propter argumenta, quæ ad eam corroborandam allegari solent, magis stringentia. Nam sic certo certius est, legem inveniri nullam, qua Notariis, tanquam Notariis hæc confirmandi & dandi tutores concessa sit facultas, quin, si jus civile spectemus, ea solum principibus vindicatur L. 6. pr. ff. de Excus. aut magistratui, cui id specialiter demandatum. Secundum jus imperii ac mores hæc potestas, ordinaria coheret jurisdictioni Ordin. Pol. de anno 1577. tit. 32, §. 1. id quod etiam in omnibus omnium locorum statutis repetitum invenitur, uti sat longum illorum contexuit catalogum GIESEBERTVS Periculo II. Stat. art. 20. n. 43. Rationes cur huic adstipulemur sententia non sunt eminus, petendæ, quandoquidem jam supr. § 5. evictum dedimus, munus tutelare esse publicum ad quod subeundum quis cogi potest, & sic tutoris intuitu esse actum contentiosæ jurisdictionis ; quare etiam tantum magistratus ordinariam in pupillum & tutorem jurisdictionem habens, ad constituendum & confirmandum tutorem admittitur ; extra territorium enim jus dienti impune non paretur. Hæc vero cogendi potestas nullo modo Notariis adscribi potest. Deinde quoque in datione & confirmatione tutorum ante omnia ad id respiciendum, ut Pupillorum jura intacta serventur, putatam ratione educationis quam administrationis bonorum, hinc inquisitio in mores tutorum instituenda, & alicubi

C

loco.

locorum vid. Stat. Hamb. Part. III. Tit. 6. art. 13. juramentum corporale exigendum, & si postea nihilosecius eam fidem & diligentiam in rebus pupillaribus administrantis non adhibuerint, ad quam obligati erant, tunc pro ratione circumstantiarum, vel removendi sunt ab officio, vel etiam alia quapiam poena afficiendi. Quomodo vero haec ad Notarios applicanda sint? qui jurisdictionem in tutores plane nullam habent, nobis cernere non datur. Et licet quis objicere vellet, hoc fieri posse, accusando tutorum in tutela male vertantem, tunc respondendum: Si haec ratio ad dationem & confirmationem tutoris sufficeret, exinde firmiter concludendum, quemvis etiam civium hunc actum valide celebrare posse, quod tamen minimè admittendum, propter varias collusiones, quæ intervenire possent, & propter securitatem pupillorum, quæ hoc modo facile naufragium patetur, & de qua tamen admittenda, utpote præsumptione pro illis militante. Firmo itaque stat talo, Notariis non competere facultatem dandi & confirmandi tutorum.

### §. XIII.

Ad argumenta contraria quod attinet, facilis est responsio. Nam licet Notarii judices appellantur in instrumento creationis; tamen hoc non sit in sensu proprio ac vero, sed abusive & analogice, quatenus actibus quibusdam ipsisque permisso, qui etiam coram judice alias institui possent, suis instrumentis desuper confessis fidem consiliare valent. Nec a nudo nomine ad rem ipsam valet illatio L. 12. ff. de Jur. Patron. Ergo & hoc solo nomine fibi jurisdictionem arrogare nequeunt. Par ratio quoque est illius argumenti, quod ab actibus ad jurisdictionem spectantibus, & quos valide peragere valent, desumitur, quia hi actus a Notario vi offici extra judicium & citra jurisdictionem peraguntur, quæ tamen ad dandos & confirmans

firmandos tutores omnino requiritur, a magistratu vero vi  
jurisdictionis & potestatis, quam eo ipso consequitur,  
dum huic muneri praefectus, peragitur. Ut taceamus  
distinctionem inter actus voluntariae & contentiose juris-  
dictionis, causaque cognitionem postulantes, ad quam  
posteriorem speciem tutorum datio sine dubio referenda,  
affirmaturi tantum, magnum intercedere discriben in-  
ter actum coram magistratu & coram Notario gestum;  
uti divisio testamentorum, in publica & privata sat lucu-  
lenter probat. Tandem & dictam L. 2. ff. de Juriſd. non u-  
tramque facere paginam, & Notarios ordinaria investire  
jurisdictione, ex iusta hujus legis interpretatione appa-  
rebit. Loquitur autem ista lex de jurisdictione data.  
Ergo ubi jurisdictione non est data, ibi quoque haec lex non  
applicanda venit. Porro minus recte exinde inseruntur:  
cuicunque potestas concessa, actum quendam perficien-  
di, ille etiam media ad validitatem hujus actus adhibere  
potest. Nam haec consequentia omnino limitanda, nem-  
pe si media sint licita, & alicuius officium non excedant.  
Tutoris autem datio cohæret ordinariæ jurisdictioni, qua  
Notarius destituitur, ergo & hoc medium ad actum inter  
contrahentes validum reddendum sibi vindicare non de-  
bet. Quid? quod si hanc legem tam laxè interpretari  
vellemus, infinita exinde sequerentur Notariis tribuenda,  
qua tamen a nemine ipsis unquam sunt tributa, nec tri-  
bui possunt. e. g. potestas veniam ætatis indulgendi, per-  
sonæ inhabili testamenti factionem concedendi, &c. Conf.  
de hac materia pluribus Illust. Dominus de Ludelwig Diff. de No.  
Pseudo Tutor & Curatore Notarii. add. Brinckmanni Diff. de No.  
Notarii & sorum officio. Quæst. 32. post. 23.

## §. XIV.

Postquam itaque a nobis extra dubium positum, jus  
dandi & confirmandi tutores ad magistratum ordinarium  
pertinere, non etiam silentio prætereundum, ad quid-  
nam

C?

nam primario respiciendum habeat? Et hic pupilli commodum omne absolvit punctum, unde simul prono fluit alveo, eligendum esse habilem, tam ratione intellectus quam voluntatis. Intellectus, ut in genere officium morum rectoris ipsi demandari possit, ac insuper ista rerum gerendarum sit imbutus cognitione, qua oppido non potest, ad augendum pupilli patrimonium desideratur. L. 12. §. 3. ff. de administr. & per. tut. Voluntatis, ut ubique in administratione rerum pupillarum utilitatem oculos habeat, & fidem de se conceptam omnibus in negotiis exesse implere maximopere intendat, quoniam a tutoribus & curatoribus pupillorum eadem diligentia exigenda est circa administrationem rerum pupillarum quam paterfamilias rebus suis ex bona fide prabere debet L. 33. pr. ff. eod.

## §. XV.

Porro magistratu*m* in imponendo munere tutelari incumbit personarum quoque habere rationem ita ut illud potius suscipere teneantur, qui quodammodo casu forte existente ex fideli rerum pupillarum administratione usumfructum capere possunt. Nam ut ut sit munus publicum, quod & invitis imponitur, tamen prudentia legislatoria hoc temperavit, ne promiscue cives hoc munere, onera haud levia secum ferentur, sed praemis illi, quorum interest maxime pupillorum conservari bona. Unde ULPIANUS dicit: Legitimas tutelar delata esse bis, qui ad legitimam hereditatem admitti possunt. Hoc summa providentia, ut qui sperarent banc successionem iudeat tuerentur bona, ne dilapidarentur. L. I. pr. ff. de leg. tut. Et licet olim ex LL. XII. Tab. sub heredum nomine agnati duntaxat venerint, attamen hoc in Nov. 118 c. 4. & s. correctum, ac differentia agnatos inter & cognatos ratione successio- nis & tutelæ sublata, puta quoad alodialia, non feudalia, in his enim soli agnati succedunt. Si ergo casus ob- ven-

venerit, ubi cognatus & agnatus sine sufficienti causa se  
 huic oneri subtrahere veller, nec alium æque habilem  
 lubenti animo hoc onus in se suscepturnum judici offerret,  
 tunc hic potius cogendus, ceu a lege jam vocatur, quam  
 statim aliis civis eligendus, ad quem conservatio bono-  
 rum pupilli nullo prossus modo spectat. Conf. Stat Hamb.  
 P. III Tit. VI art. 4. ibi: die nechst gesetzte Freunde zur Vor-  
 mundschaft zu lassen, und NB. berufen. Posset fortasse  
 hic objicere quispiam, quod hoc pacto rebus imo perso-  
 nae pupilli haud consultum esset, cum reluctanti hocce  
 imponeretur munus, a quo nihil sperandum boni, & ideo  
 distinctionem urgere legis CHARONDÆ qui orphano-  
 rum bona agnatorum administrationi, pupillorum  
 educationem cognitorum fidei & curæ subiecit,  
 cuius rationem ex DIODORI SICVL. I. XII. cap. 15.  
 BARBEYRACK ad PVFFENDORFFIVM de J. N. & G.  
 C IV. S. 15, n. 2. his expressit verbis: la raison en etoit, qu'il  
 y avoit lieu de presumer, que come d'un coté, les parens  
 paternelles n'ant rien a pretendre a la succession des pu-  
 pilles ne penseroient pas a dresser des embuches a leur vie,  
 de l'autre, les parens paternels n'etant pas chargez de la per-  
 sonne de pupilles, ne trouveroient pas l'occasion, s'il leur n  
 prenoit envie. Cependant come, au cas que les pupilles  
 vinsent a mourir de maladie ou de quelque autre acci-  
 dent, la succession echoit aux derniers, il etoit a croire  
 qu'ils prenderoient plus de soins de leurs biens, dans  
 l'esperance, qu'ils pourroient leur revenir un jour. Imo  
 apud Romanos quandoquidem audita fuisse istiusmodi  
 vota:

- - Pupillumve utinam, quem proximus heres

Impello, expungam!

testis est PERSIVS Satyr. 2. Ast nihilominus nos ab hac  
 C 3 dimo-

dimoveri sententia non patimur, si enim semper a tutori  
coacto, nihil boni expectandum sit, fere nullus tutor in-  
veniret bonus aut ad minimum admodum raro, cum  
plerique hoc munus non solum non ambiant, sed omni de-  
clinare studeant studio, propter varia incommoda istud  
comitania. Et deinde si hujuscemodi tutor etiam habe-  
ret propositum male in tutela versandi, tamen hoc suffla-  
minari facilis negotio potest, prénis istiusmodi tollitoribus  
(sicuti a DD. vocari solent) statutis. Interim hoc amba-  
bus largimur, volentem præ nolente eligendum esse sem-  
per. Ad legem Charondæ vero respondemus, quod hæc  
sinistra de heredibus in genere opinio, valere non possit,  
cum regulam exinde legislator formare debet, quod ple-  
rumque fieri solet, nunc autem quilibet præsumitur bonus,  
donec probetur contrarium, ergo si in uno altero herede  
eiusmodi excessus se proderet, aut causa esset eum metuen-  
di, tunc huic per exceptionem a regula occurrendum fu-  
set. nostram itaque sententiam in salvo esse, nobis per-  
sum habemus.

### §. XVI.

Afferimus §. 14, judicem in eligendo tutori respi-  
cere debere ad commodum pupilli, & per consequens ta-  
lem constitvere, qui quoad intellectum & voluntatem ha-  
bilis dici posset. Sed adhuc ulterius indagandum venit,  
an etiam religionis diversitas ab illo consideranda? Ethic  
primo nota est controversia de Judæis, quos quidam pro-  
pter L. 15, §. 6, ff. de Excus. ubi affirmatur, Judæos esse pos-  
se tutores non Judæorum, admittunt; alii contrariam fo-  
venter opinionem dicunt, hanc legem esse correctam per  
L. fin. C. de Jud. dum omnis ibi administratio interdicitur,  
aut d. L. 15, ita esse interpretandam, ut ea intelligenda sit  
de Christianis qui primis temporibus Judæorum nomine  
apud Gentiles veniebant, ZIEGLER de Jurib. Majst. L. I. C.  
41. §. 31. Alii contra per distinctionem hanc controver-  
siam

fiām dirimere satagunt, admittendo Judæos ad tutelam quoad administrationem bonorum, minime vero quoad educationem pupilli conf. de hac materia SCHILTER E. exercit. 36. §. 15. s. q. qui tamen §. 19. concludit verius videtur ac Jure Germanorum Judæos tutela christiana capaces haud esse, & huic sententia non possumus non album adjicere calculum. Nam licet non negemus, quod ad intellectum satis esse habiles minime gentium autem quoad voluntatem, si regula, ut omnino, ab eo quod ut plurimum sit, est desumenda, dum sere omnes vatiniano in christianos feruntur odio, & ad quavis perpetrandis sceleris presumuntur proni paratissimique, cum in lege Talmudica Judæi obligentur, ut gentiles in puteum delapsos neque extrahant neque in eos præcipites dent; haereticos autem, quo nomine illis veniunt Christiani, utne extrahant, sed in eos præcipitent. Tr. Avod. Sara fol. 26. Col. I. & II. GEORG. ELIEZER EDZARDI ad C. I. Tr. Talm. Avoda Sarap. 276, add.

## §. XVII.

Verum quid statuendum de Pontificiis & Reformatiis? Profecto non deesent argumenta etiam satis strigentia, qua in primis pontificiæ religioni addictos a tutela pupilli Lutherani excludere suaderent. Monumenta enim historiæ, etiam recentium temporum, nobis talia subministrare possent exempla ac testimonia, ex quibus sat dilucide conjiciendum, quo nos prosequantur affectu. Sed manum de tabula. Interim cum ex legibus fundamentalibus imperii constet, has tres religiones esse receperas, ergo & simpliciter a tutela pupilli Lutherani non sunt arcendi, maxime quia in multis civitatibus non unius sed diversæ religionis viri ad gubernacula sedent, & publicis funguntur officiis. Hoc tamen intrepide afftere audemus, consultius esse curam pupilli illis committere, unam cum eo religionem foventibus, nam primâ-

rio tutor datur personæ , secundario tantum rebus. Ad testimonium citare possumus HUBERUM in Prel. ad ff. tit. de Excus. num. 3. in fine ubi allegat Edictum Ordin. Generallum d. 30. Aug. 1641. per quod Pontificii arcentur a tutela pupillorum, qui alterum parentem Reformatæ religionis habuerunt,

### §. XVIII.

Tandem ut colophonem huic Sectioni imponamus,  
& non extra oleas vagari videamur, quærendum quoque esset, utrum tutores hocce officium publicum semper gratis subire teneantur, ex obligatione a legibus ipsis injuncta; Ast quia hoc ipsum est thema quod pro virium nostrarum tenuitate, occasione Statutorum Hambugensium nobis excutiendum proposuimus, hinc Deo assistente nunc illud aggressuri sumus.

## SECTIO POSTERIOR.

De

### Munere tutelari haud gratuito SVMMARIA.

- I. Articulum Juris Statutarii continet.
- II. Rationes Juris civilis, cur tutela sit gratuita? investigat.
- III. Exceptionem a regula proponit, & de vocabulo salarii quædam innuit.
- IV. An bodie munus tutelare sit nunquam gratuitum?
- V. Rationes statuti addunt, cur tutela non sit gratuita.
- VI. Objectionem ex ipso statuto fluentem diluit.
- VII. Contradictionem quandam removet.

VIII.

- VIII. De quantitate remunerationis agit.  
 IX. Quid in illius determinatione attendendum?  
 X. An etiam temporis gestæ administrationis ratio  
     habenda?  
 XI. Ad quemnam spectet hec determinatio? ostendit.  
 XII. De tempore exsolviendi honorarii agit.  
 XIII. An etiam per juramentum in litem honorarium  
     determinari possit? paucis indicat.  
 XIV. Habet casum I. Utrum in omni tutela hoc sta-  
     tutum applicationem inveniat?  
 XV. Casum II. Utrum etiam in tutela pactitia?  
 XVI. Casum III. Utrum in tutori qui se ipsum filio im-  
     puberis testatoris, tutorem scripsit?  
 XVII. Casum IV. utrum in tutela furiosorum & pro-  
     digorum?  
 XVIII. Casum V. utrum tutor propter honorarium con-  
     stitutum ad culpam levissimam prestandam sit  
     obligatus?  
 XIX. Nostræ sententia argumenta exhibet.  
 XX. Ad contraria respondet.  
 XXI. Casum VI. Utrum tutori honorarium debeatur  
     qui eandem rebus pupillaribus, quam suis ad hi-  
     buit diligentiam? in quo a Mevio dissentimus.  
 XXII. Casum VII. Utrum tutor propriam utilitatem  
     utilitate pupilli preferens, honorario afficiendus?  
 XXIII. Casum VIII. utrum tutor, qui quidem bona pu-  
     pilli secundum modum prescriptum administravit,  
     sed educationem neglexit, honorario dignus sit?  
 XXIV Casum IX. utrum tutor, qui pupille non bene  
     per matrimonium prospexit, honorario privandus?

- XXV.** Casum X. Utrum tutor in testamento datus, cui legatum relictum, nihilominus honorarium petere possit?
- XXVI.** Casum XI. Utrum tutor, cui legatum in testamento, in quo tutor non erat datus, relictum & qui postea a magistratu tutor datus, honorarium & legatum simul praetendere possit?
- XXVII.** Casum XII. Utrum heredes tutoris, cui in testamento debitum, honorarii loco erat remissum, ut tutelam in se susciperet, sed qui post mortem testatoris etiam mox facis succubit, propter conditionem non impletam, solvere teneantur?
- XXVIII.** Casum XIII. Utrum heredes tutoris per aliquid temporis spatium tutelam jam administrantis postea morientis, debitum propter tutelam remissum nihilominus tunc exsolendum habeat?
- XXIX.** Casum XIV. Utrum tutor a magistratu rei sitae per literas subsidiales a magistratu domicili pupillo datus, si in loco reisitae, tutela effeta gratita, honorarium ex loco domicilii postulare queat?
- XXX.** Casum XV. Utrum tutor alterius jurisdictio- nis sponte tamen tutelam, cum prorogatione fori in se recipiens, honorarium secundum pupilli domi- ciliu[m] recte petat?
- XXXI.** Casum XVI. Utrum tutori honorarium dan- dum si pupillus ipsi operas praesliterit?
- XXXII.** Casum XVII. utrum tutor, pubertate pu- pilli adveniente, curatelam in se suscipere recu- sans, prosola tutela honorarium recte exigat?
- XXXIII.** Colophononem nostra meditationi imponit.

SECTIO

# SECTIO POSTERIOR.

## De Munere tutelari haud graduito.

S. I.

**E**quidem munus tutelare inter illa officia esse refendum, quæ regulariter ex jure civili, nullo præmio interveniente, alter alteri exhibere obligatur, neque possumus, neque nolumus ire inficias. *Ait PATRES PATRIÆ in illustri Republica Hamburgensi olim & nunc viventes, quorum unica satis laudanda nunquam cura fuit & est, ut hujus felicitatem omnibus numeris absolutam immortalem redderent, justis moti causis, in alia omnia iverunt, pro regula constituentes: munus tutelare haud debere esse mere gratuitum.* En! igitur causam nobis latus fodientem ad hocce thema eligendum, & quantum nobis datur, discutiendum. Reperitur autem haec dispositio in *Statutis Hamburgensis Part. III. Tit. VI. Art. 20.* his verbis concepta: *Ob dann wol das Pfleg und Vorwundschaffts-Amt, von gemeines Nutzens wegen, auch um der armen Maysen und Minderjährigen Noth und Wolkart willen, nach den gemeinen beschriebenen Rechten, keinen Gewinn, oder bestimte Belohnung, sondern vielmehr eine Burde, Mühe und Arbeit auf sich hat, dennoch weil diffals von unsern Vorfahren, aus vernünftigen Ursachen, und damit ein jeglicher hierzu so viel desto williger erfunden werden möchte, ein anders verordnet, so lassen wir*

D 2

es

es auch vorthan bey solcher Verordnung bleiben, daß nemlich bey Anhörung der Schlüß-Rechnung, ihnen den Vormündern, nach Gelegenheit der Arbeit und gehabter Mühe, auch gestaltsame der Personen, und der Kinder Vermögen, eine ziemliche Belohnung wiederfahre und gefolget werde.

g. II.

Priusquam vero huncce penitus inspiciamus, casibusque illustremus articulum, dispiciendum primum est utrum de jure civili hoc munus gratuitum fuerit semper & quidem ita, ut prorsus remuneratio quædam intervenire nequiverit? Et hic secundum regulam respondendum videtur, quod sic; nam licet tutores intuitu expensarum, quas rerum pupillarium administratio postulavit, usque quaque indemnes sint servandi, adeo ut illas, modo iusta ex causa factæ, repetrere possint, quamvis felici caruerint effectu L. 3. S. 7. ff. de contr. Tutel. & util. act. attamen lucrum ex tutela quærrere vetat L. 38. de Neg. ges. ubi: tutoribus gratuitam certe integram & abstinentem omnium lucro fidem præstare injungitur add. L. 58. pr. ff. de administr. & peric. tut. Hinc quoque Cicero L. 1. Off. Ult. tutela sic procuratio Reipublicæ ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa, gerenda est. Hujus prohibitions derivare solent rationem exinde, quod negotia, ex amicitia & officio profluentia sint gratis exhibenda, quoniam haec merces est contraria L. 1. S. fin. ff. mandat. Sed adhuc aliam annexiter possumus rationem quæ legislatorem movit, cur tutela munus regulariter gratuitum voluntur? Scilicet eam, quod in pupilos nulla devolvi queat culpa, qua se ipsos misero huic statui ubi consiliis & directione aliorum indigeat, reddiderunt obnoxios, dum de inscrutabili DEI supremi consilio hoc patiuntur in fortunum. Ne itaque præter culpam incurrerent damnum & afflictio adderetur afflictio, non adeo ab æquitatis tramite

tramite alienum fuit hocce munus aliis in jure gratuitis  
annumerare.

§. III.

Enimvero nullam regulam tam firmam esse, quæ  
non sustineret exceptionem plerumque asseritur, & hoc  
quoque factum esse circa hocce munus tutelare alias gra-  
tuitum patet ex L. 33. §. fin. ff. de administr. tut. verba  
sic sonant: Principalibus constitutionibus declaratur:  
Sumtuum qui bona fide in tutelam, non qui in ipsis tu-  
tores fiunt, ratio haberi solet, nisi ab eo qui eum dat, cer-  
tum salarym ei constitutum est. Non quidem ignora-  
mus, alias legere malle salarym, quam solatium, sed  
hoc vocabulum retineri posse lcum Godofredo in notis ad  
d. L. statuimus. Nam quando dicitur: aliquid in sola-  
tium tutoria a dante constitui, esse permisum, tunc exinde  
fat elucescit non exactam inter operas præstitas & id,  
quod in solatium datur, observandam esse æqualitatem,  
sed sufficere, modo aliqua ex parte, grati animi testifi-  
cationem declaraverit. Et hoc est, quod etiam in aliis  
fui natura gratuitis officiis v. gr. deposito, mandato, abs-  
que immutacione intervenire potest. Ut taceamus salaryi  
vocabulum fere plerumque ad minimum ex loquendi  
usu, certam annuam pro labore præstito involvere pecu-  
niaæ summam, ergo si nihil certi determinatum, magis  
honorarium quam salarym erit appellandum, in primis  
quando ab initio suscepit officiū remuneratio quædam  
promissa, ast nondum constat, quæ, qualis quantaque  
hæc sit futura. Interim quemvis suo abundare pati-  
mur judicio, cum hic nobis sit satis nostram indicasse men-  
tem, haud insci hæc duo vocabula alias promiscue adhi-  
beri, & pro Synonimitate reputari; nam in verbis sumus  
faciles. Modo in re ipsa conveniamus.

§. IV.

Ex allegata ergo L. 33. sat apricatur, eum, qui dea-  
dit

D 3

dit tutorem, aliquid in remunerationem posse constituere, unde porro fluit, judici justis svadentibus causis eandem non esse denegandam potestatem, cum illius sit, ubique & semper æquitatis se studioſissimum exhibere, & niſi allaborare omni, ut non metu tantum pœnarum verum etiam præmiorum exhortatione cives suis in officiis reddat alacriores. Imo moribus Germanorum onus hoc tutelæ, niſi leve omnino fit, neminem gratis subire teneri, sed tutorem, cum rationes reddit, honorarium petere posse, afferit WERNHER in Enunc. for bodie. Enunc. 4. 26 Id quod tamen merito experientia refragante temperandum, quoniam multis in locis adhuc hodie munus tutelare est gratuitum, adeo ut secundum Jus Lubecense nec honorarium a magistratu constitui possit, dum acceptio expectatio honorarii prohibetur tutoribus, uti vid. AIEV. ad f. L. Lib. I. tit. 7. art. 14. n. 10. Statuta itaque curjusvis loci circa hanc materiam esse inspicienda, certo certius est, & si haec nihil disponunt, jus commune normam præscribere debet,

## §. V.

Quibus præmissis, nunc ad ipsum Statutum, quod investigandum nobis proposuimus, pressus ut accedamus jussus jubet ordo, ac in primis primum statuti ratio expiſcanda venit, car PATRES PATRIÆ munus tutelare haud gratuitum esse voluerint? Et haec in dicto art. 20. his exprimitur verbis: Plus vermissitigen Ursachen, und damit ein jeglicher hierzu so viel desto williger erfinden werden möchte. Quid sub prudentibus rationibus continuatur, ex sequenti ratione expressa, puta, ut eo lubentiori hoc munus in se suscipiant animo, facillime divinari potest. Nam prudens Legislator non finem solum quem intendit sibi ob oculos ponit, sed etiam media, quibus hic omnium optime obtineatur. Quandoquidem vero omnes

mnes homines natura ad pecunia custodiam adstrinxit,  
ac illorum animis verba Petronii infixa sedent :

*Quisquis habet numeros secura navigat aura  
Fortunamque suo temperat arbitrio.*

Sic quemque manibus pedibusque tutelam a se esse amo-  
turum sat luculenter inde constat , ne hac ratione rebus  
pupilli invigilando rerum propriarum jacturam faceret ,  
hinc ut quodammodo huic exceptioni ac excusationi  
PATRES CONSCRIPTI medelam adhiberent , tutori re-  
munerationem quandam finita administratione dandam  
esse fanciverunt , bene gnari , tunc cives longe faciliores  
in adeundo , imo & industrios in administrando mu-  
nere tutelari futuros , cum spem haberent sibi aliquid pro  
damno in rebus suis passo in solitum decretum iri . Nec  
est quod excipias hanc dispositionem ideo pro superva-  
canea esse habendam , quia tutela est munus publicum ,  
ad quod suscipiendum etiam quis invitus cogipotest , &  
in quo ad modum patris familias diligentis , quamvis  
nullo honorario promisso , versari debet , nisi poenam in-  
curerre velit : Nam haec quidem recte se habent , interim  
tamen observandum , re cuique suum afficium sit damno-  
sum L. 7. ff. testam. Quemadm. aper. L. 18. §. 1. ff. de Mun. §.  
honor. Quare etiam haec remuneratio tamen pro opere & la-  
bore praestito , quam in compensationem damni , quod  
tutori ex administratione gesta contigit , constituta vide-  
tur . Tandem nec haec ratio silentio prætereunda , quod  
tutor remissius ac non debita diligentia res pupillares ad-  
ministrans , quando postea actione tutelæ directa pulsa-  
tur , nihil exceptionis loco obmovere valeat , sicuti ad mi-  
nimum ex æquitate naturali valeret . quæ nemini injungit  
posthibito proprio commodo & cum suo damno alterius  
utilitatem promovere . Explorata itaque rationis est non  
fine fundamento a regula Juris civilis divortium esse  
factum .

§. VII.

## §. VI.

Sed adhuc objectio, quæ ex ipsis verbis statuti fluere videtur est diluenda. Nam afferitur statim ab initio *hujus art. 20.* daß das Pfleg- und Vormundschaffts-Amt vor gemeines Nutzens wegen, auch um der armen Bayßen und Minderjährigen Noth und Wolsart willen, nach den gemeinen beschriebenen Rechten keinen Gewinn, oder bestimmte Belohnung auf sich hat. Unde inferri posset; hunc articulum iniquitate quadam laborare, quoniam omnes Legislatores in legibus ferendis ad id primatio respicere debent, quod salutis publicæ inservit, utpote quæ suprema lex est. L. 5. ff. de Decret. ab ord. fac. Deinde & hæc constitutio contra pupilli commodum esse videtur, quod tamen pariter magistratus in constituenda tutela ante omnia observare tenetur. Verum respondemus ad prius concedendo, munus tutelare propter publicam salutem, debuisse esse gratuitum, sed negamus per hanc dispositionem in hoc articulo factam aliquid publicæ salutis esse detraetum. Nam sæpe Legislator potest ea esse in opinione, per legem summa cum circumspectione a se latam publicam salutem promotumiri; interim nihilominus effectus contrarium testatur. An ergo tunc hanc iterum mutare legem ipsi integrum haud esset, propterea quia semel ob salutem publicam est lata? Profecto hoc nemo unquam afferuit, nec afferi potest, conf. LIEBENTH. Coll. pol. Exerc. 12. Qu. 2. quare etiam in allegata L. 5. expresse disponitur: posse prius decretum rescindi, si publica utilitas id suadeat, exigatque. Et hanc adfuisse in §. preced. jam evictum dedimus. Ad posterius sc. pupilli commodum autem reponimus notissimam istam regulam: Neminem cum alterius damno fieri debere locupletiorem. Hoc vero non posset non contingere, si tutor proprias negligere res opus haberet, ut modo rebus pupillaribus ex sua administratione aliquid accederet augmenti. Et certe eadem est ratio in tute, quæ alias

alias pro pupilli solet in medium proferri, puta, interesse  
Reipublica res pupillorum conservati, nam pari quoque  
modo refert res tutoris per hoc officium minui haud debe-  
re, ne publicum in uno vel altero damnum sentiat. Ex  
haecenus dictis ergo intrepide affirmare audemus, con-  
veniens & q. itati naturali esse magis si tutori remuneratio  
quædam concedatur, & hoc pacto æquilibrium attenda-  
tur, quam si unius partis solum habeatur ratio.

## §. VII.

Facile quidem hic subolere possumus, nos contradic-  
tionis eujusdam accusatumiri, cum in *Sect. I. §. 5.* dixi-  
mus: tutori non habere justam conquerendi causam,  
si propter tutelam suscepit res suas non eadem procura-  
re valeret diligentia, ac si hoc vacaret munere, quoni-  
am post sua fata, intuitu liberorum idem sibi a concivi-  
bus promittere posset officium. Ast hæc contradicatio  
apparens facili potest conciliari negotio, modo quis at-  
tenderit, ibi nos principaliter egisse de necessitate, in jure  
civilis statuta, munus tutelare subeundi, quæ & ubique  
salva manet. Porro cum hoc munus ex jure civili regu-  
lariter sit gratuitum, ergo quoque ratio erat alleganda,  
& quam adhuc ulterius in *§. 2. hujus Sect.* explicuimus.  
Verum in *prec. §.* nos explicatio Juris patrum occupato-  
tenuit, & secundum illud tutela non est regulariter gratui-  
ta, unde & alia danda era ratio. Nam legislatores circa  
unam eandemque rem, non semper unam eandemque  
habere rationem ipsæ diversæ diversarum provinciarum  
leges & statuta loquuntur. Posset itaque tutela secundum  
Jus Hamburgense describi. Quod sit *munus publicum*,  
quo qui pupilli educationem ejusque bonorum administrationem,  
sub remuneratione quadam in se fiscipere tenetur.

## §. VIII.

Cum ergo diximus de remuneratione, tunc quoque  
indagandum, quanta illa esse debeat? in d. Statuto in-

E

veni-

venitur: eine ziemliche Belohnung. Ex quo vocabulo colligere licet, qualem proportionem inter autorem & pupillum esse tenendam, quod etiam verba proxime antecedentia clarissim illustrant, nempe: Ihnen, denen Wormündern, nach Gelegenheit der Arbeit und gehabter Mühe, auch gestaltsame der Personen und Kinder vermögen. Hinc in determinanda remuneratione ad tutelam delatam respectus ut habeatur, ipsa Statuti efflagitans verba, scilicet: utrum illa magna ac diffusa fuerit, & quidem ita, ut propriis rebus debitam subtrahere diligentiam & administrandis rebus pupillaribus impendere debuerit? Sicuti enim una istiusmodi tutela pro pluribus cedit, L. 31. §. 4. ff. de Excus. difficultatem rationum reddendarum inducit, & alias immunitatem ab alia tutela suscipienda præstat, ita quoque æquitas postulat quam maxime, lautori tutorem tali onere presulum, & a proprio avocatum commodo, honorario afficere, laborem illius in gerendo munere tutelari impensum quodammodo compensare, quam si tenuis pupilli fortuna, hanc administrationem tutori reddiderit facillimam. conf. Menoch. de A. I. Q. cent. 3. cas. 223. Deinde etiam circa honorarii determinationem facultates pupilli in censum venire debent. Nam si pupillus maximarum omnium rerum egestate premitur, contra tutor datus omnium rerum affluentia instructus reperitur, tunc profecto admodum est inhumanum, ei aliquid remunerationis loco adscribere velle, quia ipsa naturæ lex necessitatem nobis imponit, alias inopia laborantes, nostra sublevandi copia. Si vero uterque tutor pariter ac pupillus, mediocrem duntaxat, natiessent fortunam, tunc & honorarii constitutio exinde modum accipiat oportet.

### §. IX.

Hactenus de modo honorarii determinandi deducata, ipsa statuti verba insinuarunt, ex quibus nunc & por-

1435

10

ro derivari haud obscure potest, conditionem tutoris & pupilli non insuper plane esse habendam. Nam quando in statuto dicitur: auch gestaltsame der Personen, und Kinder Vermögen, tunc particula copulativa &, innuere videatur non facultates solum & operas præstitas esse respiciendas; sed etiam ad conditionem tutoris ac pupilli. Id quod etiam in constituendo honorario non adeo infrequens in jure reperitur, dum in L. I §. 10. de extraord. cognit. præscribitur, in honorario advocate exfolvendo illius facundiam attendendam, & secundum eam, quantitatem determinandam esse. Et cap. de multa 28. in fin. de Prab. disertis verbis affirmatur: quod sublimes & litterae persona, cum ratio postulaverit, majoribus beneficiis sint honorandæ. Quorsum etiam collineat, quod tutoribus injungatur præceptoribus pupilli mercedes, non quas minimas poterit, sed pro facultate patrimonii & pro dignitate natalium constituisse L. 12. §. 3. de administr. tut. In primis autem huc spectat L. I. §. 6. ff de tutel. Et rat. disrab. ubi: Si pupillis tutores pater dedit, inter quos & liberum suum, perque eum voluerit tutelam administrari & tutores certam summam ei statuerunt, quia aliter se exhibere non poterat, ejus ratio est habenda. Ex quibus legibus sat elucescit, pro conditione honorarium accipere determinationem. Ergo eo minus credimus, nos hujus statuti genuinum migrasse sensum, aut illi aliquid affinxisse, quod in eo non contingatur, quoniam omnia statuta ex analogia juris communis sunt interpretanda.

## §. X.

Tandem quoque temporis diurnitatem circa honorarium constituendum, observandam esse per se patet, & ex verbi statuti: nach Gelegenheit der Arbeit, und gehabter Mühe adhuc dilucidius probatur. Sicuti enim quis eo majori afficitur molestia, quo longiori eam debuit sustinere tempore, ita quoque honorarium secundum il-

E 2

lud

Iud temperandum, non tamen penitus consideratione laboris & studii exclusa. v. g. Si quis per unum alterumve annum tutela administrationem habuisset, & hoc exiguo temporis spatio, omnia quæ in ea confusa & diffusâ erant, per ingentem laborem & indefessam curam, in iustum redegisset ordinem, ita ut sequens, quamvis multo longiore tempore tutelam administraverit, tamen illam, absque omni fere labore ac fine ullo rerum suarum detrimento continuare potuerit; nam tunc quisque etiam nobis tacentibus, videt, solo tempore honorarium metiri velle, a justitia remotum, imo penitus remotissimum esse, ergo hæc duo coniunctio attentionem merentur,

### §. XI.

Circumstantiis secundum quas determinatio honorarii facienda, evolutis, nunc ulterius nobis progredendum est, ad personam, penes quam hæc determinandi facultas invenitur; sed hic ad minimum magistratum concurre, quo omnis evitetur controversia, tutissimum esse, nobis omnino persuasum habemus. Et licet nostrum Statutum tantum generaliter loquatur: Dass eine siemliche Belohnung widerfahren und gefolget werde, & sic exinde inferendum esse videatur, Magistratum quidem honorarium constituisse, ast determinationem pupilli nunc majorennis facti, aut ipsius heredum arbitrio reliquisse, tamen hoc non aliter accipi potest, quam si pupillus majorennis jam factus, cum tutor de certo honorario convenierit, quod nempe magistratus, coram quo rationes gestæ administrationis sunt reddendæ, illud approbet. De cetero si pupillus vel plane nullum vel admodum exiguum sive facultatibus & laboribus impensis nimium quantum inæquale tutori destinasset, sive optimo jure in illum quadraret: antiqua dormit gratia, immemoresque sunt mortales, omnino magistratus erit, secundum antea adducta requisita determinare honorarium, & majoren-

nem ex pupillo jam factum cogere, ut illud tutori praetet,  
aut permittere, ut a rationibus distrahatur. Contra quo-  
que si tutor adhibitis fraudulentis & callidis persuationi-  
bus pupillum induxitest, ad sibi nimis amplum & faculta-  
tibus suis minime gentium conveniens promittendum ho-  
norarium, itidem magistratui competit, hocce iniquum  
ad æquum redigere promissum. Ex quibus itaque mani-  
festum est, magistratus vel ratione approbationis vel deter-  
minationis vel correctionis semper in hoc negotio requiri  
auctoritatem.

## §. XII.

De tempore autem quando hocce honorarium ex-  
solvendum satis clare disponitur in his verbis: Dass nem-  
lich bey Anhörung der Schluss-Rechnung eine ziemliche Be-  
lohnung wiederfahren und gefolget werde. Verum an tunc  
etiam primum honorarium ad certam redigendum quan-  
titatem, vel, annon potius tutor statim initio tutelæ suscep-  
ptæ hoc praetendere possit? exinde dubium reddi posset,  
quia magis pupillo conducere videtur, si mox initio ad-  
ministratio*nis* certum quid tutori promitteretur. Quem-  
admodum enim omnes homines natura ita comparati  
sunt, ut certi quid incerto longe praeferant, & de proverbii  
veritate, quo Galli utuntur: un tiens veaut mieux que dix  
tu l'auras, nimis persarsi fint, hinc quoque pupillus in re-  
bus suis administrandis non tantam a tute*r*e expectare po-  
test industria*m*, ac si certum ipsi honorarium jam statutum  
eset, quo quasi calcare ad omnem rebus suis navandam  
operam, patrimoniumque, quantum fieri posset, augen-  
dum ac conservandum adigeretur. Neque verendum ap-  
paret, hoc pacto inter laborem a tute*r*e adhibitum, & hono-  
rarium, nullam post observari æqualitatem, quat tamen ali-  
quo modo desideratur, uti in præcedentibus evicimus;  
nam licet certi quid in honorarium destinatum, attamen  
semper

E 3

semper tacita hæc subintelligenda esset clausula : Si tanquam patremfamilias in munere tutelari se exhibuisset diligenter, istiusmodi operas tale honorarium merentes, præstisset. Ergo postea in ultimæ rationis reditione, magistratu nimiam deprehendente inæqualitatem ei semper hoc moderari salvum est. At hæc adducta, quanquam speciem quandam veri commodi, exinde pupillo enascentis, præbeant; tamen affirmari haud poterit, non eodem modo pupillis esse consultum, si finita demum tutela honorarium determinatur. Homines, queis meliori luto fixxit præcordia Titan, administratione tutele etiam absque honorario ita fungentur, ut conscientiam reportent illibatam ac virtus fibimet ipsa pulcherrima sit merces; multo magis si spem habeant, fidem illorum curam, & damnum, quod forte inde enatum, aliqua ex parte compensatum iri. Contra vero malorum nequidem propositum certa honorarii determinatio nec mutaret, nec sufflaminaret. Et exinde ex ipsis statuti verbis, modo quis illa penitus inspexerit, probari potest, post finitam demum administrationem honorarium esse determinandum, quoniam ad laborem & studium respici debet, & de quo finita tutela omnium optime constat, sicuti etiam vocabulum : wiederfahre, commode de honorarii determinatione, & sequens : ge folget de exsolutione interpretari possumus.

### §. XIII.

Paucis adhuc quoque tangendum : numne liceat tutori honorarium per juramentum in item determinare, si magistratus nolit acquiescere determinationi ? Verum hoc negandum esse simpliciter putamus, quia hic non agitur de casu, ubi dolus vel culpa quedam imputari potest, sed tantum de honorario quodam pro administracione muneris tutelaris, vigore statuti præstanto, ac in quo nulla exacta desideratur æqualitas modo aliquid ex arbitrio

bitrio" magistratus redhostimenti loco tutori adjudicetur. Imo si honorarium in aliquo officio admittitur, tunc hujus determinatio ad illum, cui dandum, pertinet nunquam, sed a libera ejus voluntate, qui id præstat, proficitur. Nec est quod regeras, hocce honorarium debe re secundum statuti normam laboribus impensis responderet aliqua ex parte. Nam licet hoc ambabus largiamur, interim hoc omnino quoque esse factum, cum magistratus illud pro ratione circumstantiarum vel approbaverit, vel definiverit, utpote quem semper æquitatis habuisse rationem præsumendum, in dubium vocari non potest.

#### §. XIV.

Explicatione itaque statuti ratione honorarii definiendi, absoluta, nunc ad illud porro illustrandum, quosdam hic facientes enucleare lubet casus, quorum imus esto: *Utrum in omni tutela hoc Statutum applicationem inventiat?* Nam tutelam esse triplicem, & hanc differentiam per necessariam ex hodierna praxi magistratus confirmationem non penitus esse sublatam in §. 9. *Sect. prioris ostendimus.* Et hic casus intuitu dativa & testamentaria nil sovet dubii, quominus honorarium debeatur, sed quoad tutelam legitimam quis hanc ob rationem dubitare posset, quia ad illam ipsa lege vocantur proximi heredes, & qui propter spem succedendi hoc munus subeunt, unde porro fluit, eos non tam in pupilli quam sui ipsius commodum hanc suscepisse administrationem; ex quo autem negotio commodum spero, illius quoque incommodum, ut feram necesse est. Verum & tutorem legitimum honorarium petere posse, omnino afferendum. Nam primo nostrum Statutum in genere loquitur, nec ullam insinuat differentiam: hinc ubi illud non distinguvit, nec nostrum erit distingvere. Deinde quod attinet ad commodum, in tutorem legitimum resultans, hoc

hoc admodum est incertum, & sola succedendi spes eum a petitione honorarii excludere non potest. Quare etiam si quis a munere tutelari ob legitimas excusatur cauſas, eadem quoque in tutele legitimo sunt admittendae. §. 16. *L. de Excus tut. S. curat; L. 4. C. de leg. tutel. proprietatem naturalem, quæ omnibus eam allegantibus, falsa esse debet.* Interim si pupillus, priusquam ad eam pervenisset ætatem, qua de rebus suis per ultimam disponere posset voluntatem, moreretur, & legitimus tutor ei solus heret existeret, tunc quidem hæc quæſtio non esset mōvenda, si vero alia personæ pari cognitionis gradu pupillum attingentes, ob legitimas a tutela se excusatent cauſas, & qua postea ad pupilli hereditatem admitti volunt & debent; hæc enim tutori administranti honorarium itidem denegare non valent, imo tunc exactam inter operas & honorarium æqualitatem esse obſervandam ipsa fuggerit aquitas, quoniam nemo suo danno reliquorum heredium tenetur augere commodum.

## §. XV.

*Casus IIIdus. Virum etiam in tutela pacititia?* Hanc in praxi esse receptam & quartam tutelæ speciem vocari diximus supra §. 6. *Soc. prior.* Antequam vero nostram exponamus mentem, præmittendum est, nos non de eo loqui caſu: an liceat in hac tutela ſibi quoddam stipulari emolumētum? hoc enim extra dubium pofitum, quia etiam testator alicui liberorum ſuorum tutelam imponens, propter hoc onus ſimul legatum adſcribere potest. *L. 32. f. de Excus. L. 28. pr. Testam tut.* Quidni ergo idem patet liceret? cf. *LEYSER in Medit. ad Pand. Specim. 328. med. 23.* Sed quando pacientes de honorario nihil adjecerunt. Et hoc caſu eum, per pacitum onus tutelare in ſe recipientem, tacite honorario renuntiasse, quidem urge- ri poſſet, quia nemo officium quoddam gratis ſuscipere vo- luisse præfumendus, & lucri bonus fit odor ex qualibet re,

adde

deo ut sublata spe quæstus, langueat mercatus; attamen in hoc negotio aliter dicendum videtur, utpote ad quod suscipiendum privatus privatum cogere non poterat, dum alibera alterius voluntate dependebat, & ex amicitia tantum suscipiebatur, cui autem mercedem intervenire natura veræ amicitiae non permittit. Verum nihilofecius & hoc in tutela honorarium deberi non absque ratione statuimus. Nam primo bene perpendendum, munus tutelare ex nostro statuto regulariter non esse gratuitum; deinde in contractibus sive pactis, obscuritate aliqua vel ambiguitate laborantibus interpretationem esse faciendam contra illum, in cuius potestate fuit, legem apertius conscribere L. 39. ff. de Pact. aut qui clarius loqui potuit aut debuit. Si nunc quæras, qui clarius loqui debuisset? Respondeamus, eum, qui aliquid prætendit, quod a regula contractus vel pacti recedit. LVDOVICI Doct. Pand. tit. de contr. emt. §. 13. hunc autem esse stipulatorem, sive illum, qui pertulit ex pacto liberis suis post mortem prospicere voluit, ex paulo ante dictis, patet, ergo dum hoc non fecit, quamvis etiam cogitasset, in illum etiam quadrat, quod opus in mente retentum nil operetur. L. 3. ff. §. 7. de condic. causa dat. Alteri vero pacto tutlam in se recipienti, ac communis regulae inherentis, nihil imputari potest, utpote credenti, se secundum consuetudinem receptam ad hujus munitionis functionem se obligasse. Neque tacita renunciatio, nullo facto contrario, ex quo illa præsumitur, interveniente, admittenda, cum homines sapientis officia, ad quæ cogi non poterant, & quæ ex amicitia originem trahunt, pro mercede & honorario sibi injungi patiantur.

## §. XVI.

Cæsus IIIius: Utrum in tutori, qui seipsum filio impuberi testatoris tutorum scripsit? Nolumus hic multa quæ alias ex constitutione Juris Romani de his, qui sibi quid in testamento alieno adscriperunt, recenseri solent, conglomera-

F

rare.

rare. Hoc enim tam severa erat interdictum, ut qui sibi legatum vel hereditatem adscriperat, in penam falsi in cideret. *L. 1. ff. de bis, qua pro non scriptis habentur.* *L. 14. & 15. pr. de L. Corn. de falso.* licet quoque probari posset, testatorem ea, qua scriptis, dictasse *L. 3.* *C. de bis qui sibi adscribunt.* Et ad hanc prohibitionem etiam pertinebat, si quis in testamento se tutorem scriperat; hinc in *L. 29. ff. de testam. tut.* dicitur: *Ex Sententia SCii Lisboniani tutor non erit, qui se testamento pupillo tutorem scripsit.* Ast quia usu fori ea, quæ quis sibi adscripsit, sustinentur, modo b. f. scribentis & voluntas defuncti liquido doceri possit, ut multis præjudicis confirmavit *LEYSER Specim. 394. med. 4.* & in specie quoad tutelam verba sequentia *d. L. 29.* fatis indicant, tutorem, quando patris voluntas hoc ipsum manu sua declarans ambigua non esset, esse admittendum. Sic quoque nulla subest ratio, cur aliquis propterea, quod sibi met ipsi hoc munus adscripsit, sit privandus honorario, præsertim ubi hodie magistratus accedere debet confirmatione, qua omnis, si forte quædam fraudis adesset, removetur suspicio.

### S. XVII.

*Casus IVtus: Utrum in tutela furiosorum & prodigorum?* Hanc tutelam æque necessariam esse, ac pupillorum & minorum, nemo negaverit. Nam priores absque sua culpa natura plane inhabiles sunt ad bonorum suorum administrationem, & posteriores per declarationem magistratus ob dissolutum vitæ genus, & dilapidationem bonorum ex propria culpa tales sunt facti. Hinc quoque hæc tutela in *Jure Stat. Hamb. d. P. III. tit. 6. art. II.* fundata, ubi mater, vel hac extincta, proximi consanguinei sub pena privationis hereditatis obligantur, ejusmodi personas ad magistratum deferre, ut ipsis curatores constituantur. Et his pariter ac tutoribus pupillorum, pro administratione dandum esse honorarium, ex vigore statuti omnino arbitrio

tramus, quoniam illud non tantum generaliter, sine habita distinctione: den Vormündern hoc adjudicat; sed insuper rationes, ob quas hoc pupillorum tutoribus constitutum, apprime furiosorum & prodigorum etiam conveniunt. Scilicet ut eo libentius hoc in se suscipiant onus, ut eo majori hoc officio fungantur diligentia industriae: tandem ut præmium in solatium pro studio & labore accipiant. Unde itaque tuto inferendum; ubi eadem ratio, ibi eadem juris dispositio admittenda. Ut taceamus curam harum personarum interdum amplius mereri honorarium propter maximas molestias, quas haud raro hoc officium gerentes, sunt experti.

## §. XVIII.

*Casus Vetus: Utrum tutor propter honorarium constitutum ad culpam levissimam praestandum sit obligatus?* Circa hunc casum amplissimum quidem haberemus campum in materiam de culparum praestatione excurrendi, interim quia hoc nos nimis longe a scopo abduceret, ac insuper de gradibus culparum certis regulis includi non potest doctrina; sed judex secundum negotii circumstantias, prout hoc vel maiorem vel minorem requirit diligentiam, judicare debet, cf. THOMASIVS in disp. de usu pratico doctrina difficultate de culp. praef. in contr. hinc has controversias nostras non facimus, indagaturi duntaxat, quid in tutela propter honorarium constitutum sit, affirmandum? Noto notius alias est a tute regulariter culpam exigere levem, & quidem non in concreto solum, sed etiam in abstracto, h.e. non sufficit ea diligentia quam rebus suis adhibet, si nempe sua negligencia eum ad patres familias diligentes referri non patitur, sed quam alii diligentiores rebus suis impendunt. Et hanc diligentiam per honorarium non mutari in maiorem statuit MENCKEN, in disp. de Salar, Tut. & Cur. §. 25. ex his rationibus; quia tutela non secus ac alia negotia gratuita, velut mandatum honorarium recipit, in quo autem propter ho-

norarium obligatio non augetur mandatarii, ita ut casum fortuitum praestandum habeat; deinde ex honorario tutor nullum sentit lucrum, sed est tantum remuneratio quædam, quam in tenue solatium detrimenti, in re familiari ex hoc munere accepti laborumque impensorum invenit. L. 58 ff de adm. tutor. Tandem culpæ praestatio in emolumentum pupillorum ad levem culpam extensa, ulterius producenda non est, ne nimis a regula recedatur, L. I. C. de hered. tut.

## §. XIX.

Rationes tamen adquætas, non tanti fuisse ponderis, ut nos in aliam traherent opinionem, ex sequentibus elucescit. Misericordia culparum gradibus, in quibus definiendis mirum in modum se torquent D.D. quo antinomis, distinctionibus, subtiliter excogitatis, obviam eant, afferendo: mox positivum pro superlativo, mox superlativum pro positivo; Item verba diligentia, culpæ, custodiæ intelligenda esse secundum materiam substratam: denique vocem periculi modo casum denotare, modo culpam, & casui opponi, prout substrata materia hoc admittit. Thomas. d disp. Cap. I. §. 4. Hoc unum addere lubet neque tutorem semper tantum culpam levem praestandam habere, sed quoque interdum levissimam, uti patet ex L. i. pr. ff. te Tutel & rat. disrab. ubi tutori injungitur, tantum in rebus pupilli adhibere diligentiam, quantam in propriis adhibet; si itaque in his esset paterfamilias diligentissimus, & illis vero solum diligens, tunc vigore d. L. ex culpa levissima conveniri posset. Quibus superstrutis licet gradum culpæ judici relinquamus determinandum STRICK U. M. tit. commod. §. 12. non tamen absque ratione tutorem propter honorarium ad majorem obligari diligentiam, & judicem in eo propter negligentiam vel culpam puniendo severiorem esse debere, affirmare posse, arbitramur. Nam tutor & pupillus sunt correlata, correlative.

relativorum autem eadem conditio; hinc si honorarium quoad tutorem hunc habet effectum, ut damnum quod fortasse ex hoc munere ipsis obvenit, aliqua ex parte compensetur, ac labor in utilitatem pupilli versus, non plane sit sine reali grati animi testificatione; ergo quoque pupilli intuitu effectus honorarii admittendus omnino. Hic vero exulare, si tutor ob honorarium concessum, non ad majorem adstringeretur diligentiam; imo constitutio honorarii oppido ad pupilli detrimentum pertineret, quod tamen a legislatore ne presumendum quidem. Et hac in opinione eo magis reddimur firmati ex verbis statuti nostri, puta: vernuntigen Ursachen, ad quas rationes quoque pupilli commodum referendum quam maxime. cf. §. 5. bry. sect.

## §. XX.

Ad contraria Menckenii argumenta diluenda, paucis reponimus: quod primum a mandati negotio defumtum, nostram non de ponte dejiciat opinionem, quoniam magnum inter negotium mandati & munus tutelare intercedat discrimen; in eo tantum convenient, quod utrumque regulariter sit gratuitum, alias in hoc de commodo personarum agitur in jure maximum favorem habentium, ac quibus ita prospiciendum, ne minimam incurvant laesionem. Deinde in mandato propter honorarium non potest major desiderari diligentia, mandatario absque illo jam ad exactissimam secundum plerorumque opinionem obligato, & ut casum fortuitum ob id ferre deberet, ab aquitate esset alienissimum, cum illum nec ex pacto in se recepit, nec aliqua ex causa ipsi imputari potest. Quare argumentum a depositario deriyatum, quod MENCKENIVS l. c. tanquam sua sententia confrarium adduxit, omnino hic applicationem meretur; nam depositarius regulariter ad culpam latam teatum obligatur. Verum si honorarium accepit, tunc quia ad-

E 3

huc

huc major culpa præstari potest, quod secus erat in mandatario, de levi quoque tenetur. Et par ratio allegari potest in munere tutelari. Reliqua duo argumenta, non multum habent in recessu, & retundi posunt ex iis, quæ in §. præc. diximus. Nam licet honorarium tenuis tantum sit remuneratio, & cavendum porro ne nimis a regula recedatur; tamen & illa effectum quadam pupillum producere debet, ac quoniam per constitutionem honoraria regula recessum, ergo quoque regulam de præstantia culpa mutatam, merito presumendum. Sicuti etiam contrarium L. L. allegatae non evincunt. Ut taceamus secundum nostrum statutum eo minus dubii superesse, ubi munus tutelare ex regula non est gratuitum.

### §. XXI.

*Casus VI*: Utrum tutori honorarium debeatur, qui eandem rebus iis pupillaribus, quam suis adhibuit diligentiam? Hunc casum simpliciter esse affirmandum, si tutor in rebus propriis ea usitum circumspetione ac diligentia, quam alias omnes patres fam. rebus suis impendere solent, non indiget probatione, quia hac ratione id fecit, quod sui erat officii, & sic culpa vacat omni; verum quando non adeo in suo promovendo commido fuit diligens, an tunc etiam a culpa sit liberandus, ipsique honorarium tribuendum, si eodem versatus modo in rebus pupillaribus administrandis? Et hoc videtur negandum, quoniam diligentia in administratione honorum pupillarum adhibenda, suam non accipit normam ex diligentia tutoris in rebus propriis adhibita, sed ex officio quod gerit, & hoc vult, ut id agat, quod bonus paterfamilias rebus suis ex bona fide præbere debet, uti loquitur L. 33. pr. ff. de administr. & per. tut. Quare *M. E. VIVS P. IV. D. 9.* arbitratur, tutorem non esse excusandum, licet sub lucri spe actum quandam distulisset, uti exemplum adduci de polenta, quam tutor ex materna hereditate accepérat, ideo a tutele affervata, ut majoris pretii posse a

stea eam vendere posset, sicuti ob eandem rationem & propriam suam polentam distrahere noluerat; sed spes lucris decollavit, ac polenta vermis corrupta, deinde minoris pretii vendi debuit; hinc pupillus adversus tutorum agit ad damnum refaciendum, quod & rejecta tutoris excusatione & exceptione, se ex bona mente venditionem distulisse, approbatum, ex hoc fundamento: quia tutor ut probidus paterfamilias non egisset, utpote qui res facile perituras statim vendere solent. Verum enim vero, licet non statuamus temper sufficere in tutori, si eam rebus pupilli, quam suis adhibet diligentiam, non tamen possumus in exemplo adducto cum MEVIO consentire, quia quantum nobis cernere datur, ratio adjecta, non tanti ponderis, ut ob eam tutor ad damnum refaciendum condemnari potuerit. Nam fagacissimos ac diligentissimos patresfamilias vel mercatores, veniunt, ut sermo illis familiaris est, sic etwas auf speculation gekauft und liegen lassen, tale damnum prater opinionem sepe incurrit, in aprico est. Nec polenta ejusmodi conditionis deprehenditur, ut inter mercatores statim perituras sit rejicienda; ergo si plane nihil aliud culpae, polentam vermis esse corruptam, quam quod non statim vendiderit, tutori imputari potest, ac insuper in sua propria loco lucri sperati, de quo etiam fideliter alias participare voluit pupillum, idem damnum accidit, a culpa immunis tutor pronuntiadus videtur, qui nunquam de infelici tenetur eventu, modo omnis fraudis absit suspicio. *Imo inclinare judices ut non facile tutoribus officium pa-*  
*zziantur esse damnosum, eosque eti in genere culpa alia non absit, se*  
*tamen in hypothesi par factum tutoris extet in propriis rebus, ex-*  
*cusandos putent, scribit ELVERVS in Pral. ad Pand. Tit. de ad-*  
*ministr. Et per tut. num. 7. Ubi praejudicium allegat de tu-*  
*tore a damno refaciendo absoluto, licet pecuniam pupilli*  
*tutissimo loco fitam exegisset, eandemque apud alium,*  
*deinde bonis cedentem, collocasset, & quidem eam ob cau-*  
*sam,*

sam, quod & ipse certam pecunia summa eidem debitori tunc temporis non suspe<sup>c</sup>to credidisset.

§. XXII.

*Casus VIIImus : Utrum tutor propriam utilitatem, utilitati pupilli preferens, honorario afficiendus?* Hic bene distinguidus est casus, quomodo tutor suum commodum, commendo pupilli prætulerit? Si enim iste ita concipiatur, uti COTTMANNVS Vol. 4. Responf. 5. n. 31. eum proposuit, cum tutor bona feudalia quæ ad pupilos fidei sua commissor velut proximiores agnatos pertinebant, ipie remotor sibi emerit, & commodum suum proprium utilitati pupillorum injuste & inique anteposuerit; tunc tutor non tantum nullum consequi potest honorarium; sed præterea pretio numerato jure miscatur, sibique istud damnum imputandum acceptum ferendum habet. Verum talem nolumus casum, sed eum : si v. gr. ut in priori exemplo de polenta maneamus, tutor certam hujus generis frumenti quantitatem possideret, & pupillus etiam ex hereditate certam quantitatem, ejusdemque bonitatis accipisset: an tunc si commodum emtorem cuius postea non facile copia daretur, inveniret, teneatur primum pupilli polentam vendere, & ita illius utilitatem, si suo recte fungi velit officio, suæ præferre? Et hic nobis negativa verior & æquior videtur, quia ordinata charitas incipit a se ipsa, & nemo obligatur alienam salutem suæ anteponere L. 6. Cod. de Serv. §. 47. ibique BRVNNEMAN. n. 5. §. 6. Nec certa invenitur lex, quæ hanc tutori imponit necessitatem commodum pupilli suo anteferendi, sed tantum ut tanquam diligens paterfam : se exhibeat in hoc munere. Quamobrem Jus Stat. Hamb. in præced. art. 19. tantum ita disponit: Dass der Vormund in den Gütern zu Schaden und Nachtheil gehandelt, poena quadam sit afficiendus, non autem si utilitatem pupilli, suæ non prætulerit. Interim libenter concedimus, tutorem majori forte

forte laude posse dignum haberi, si vel plane pupilli utilitatem suæ anteponat, vel ita dividat, ut utriusque sit æqualis: minime vero si hoc non fecerit, illum propterea honorario esse privandum. Essent adhuc refutanda contrarium sententium argumenta, a commodatario desumpta, res commodatas suis præferre obligato; ast a commodatario adtutorem non valere consequentiam vel exinde apricatur, quod ille ex re commodata utilitatem capiat, non autem hic; imo commodatarium in communi periculo res proprias pretiosiores posse præferre receptior est sententia. SCHOEF. *Synops. Tit. commod. n. 22.*

### §. XXIII.

*Casus VIIIIus: Utrum tutor qui quidem bona pupilli secundum modum prescriptum administravit, sed educationem neglexit, honorario dignus sit?* Ad hunc casum facili posse respondere negotio, quisque videt, dum expediti juris tutorem primario personæ, secundario tantum rebus ipsius dari conf. Stat. Hamb. P. III. tit. 6. art. 15. Hinc quamvis in administrandis bonis exactissimam navasset operam, illaque mirum quantum auxisset, educationem autem curæ cordique non habuisset, tunc tantum abest, ut honorario dignus estimari possit, ut potius condignas dare debeat pœnas. Tutoris enim scopus in hoc officio est, ut bonum efficiat cives, ille vero non ex bonis solum sed præsertim moribus & doctrina est dijudicandus. Quare magnus ille Macedonum Rex Alexander majori dignum estimavit pretio eum, per quem studia animique cultum adeptus erat, quam quos vitæ suæ auctores venerabatur. Et profecto bona animi multis parasangis antecellere bona fortunæ omnium approbabit calculus, dum illa sunt perpetua, & a nemine eripi possunt, hæc caduca & variis obnoxia casibus. Quia si minor fit virtus quam quære, re, parta tueri, etiam istis pupillus imbuendus est moribus, ut suas actiones non ex affectuum arbitrio sed rati-

G

one

onis judicio instituat, & sibi ipsi hanc dicat legem: meius est, coactare juveniles calores, ne cupidini deduci tristem exitum sentiant, qui eos post dispersum expectat patrimonium *L fin.* *C de bon.* *qua lib.*

### §. XXIV.

*Casus IXus.* Utrum tutor qui pupilla non bene per matrimonium profexit, honorario sit privandus? Ansam ad hanc questionem mihi dederunt Acta a Consult. Domino PRÆSIDE cum communicata, ubi talis reperiebatur casus: Es hätte der Vormund seine Pupillin sehr jung an einen gleichfalls jungen Menschen verheirathet, welcher nach Verleihung zweyer Jahre durch seinen unverhüttlichen Handel sich in die grösste Armut gestürzet, und also einen concursum bonorum ereget. Da nun die Frau ihre illaten nach dertiger Gewohnheit nicht salviren konte, sondern sie den Mann mit bezahlen müste; so verklagte sie deswegen ihren Vormund, daß weil er durch ihre fruhzeitige Heirath sie in solches Unglück gestürzet, ihre pacta dotalia mit unterschrieben, auch 30. Rthl. zum recompens bekommen, mögliche angehalten werden, sie wieder in den Zustand zu sezen, worin sie zur Zeit ihrer Verheirathung gewesen. Hæc acta primum transmissa erant ad Facult. Jur. H. ubi tutor ob causas adductas condemnabatur, omnia, quæ per matrimonium amiserat, ipsi refundere. Sed tutor contra hanc sententiam usus erat remedio suspensivo, ad quod admisitus, causa ab utraque parte denuo ventilata, acta iterum ad aliam Facult. Jurid. R. transmittebantur, qua a priori sententia recesserat, his adducta rationibus: quia ex actis non constitisset, tutorem scienter suam pupillam juveni dissoluto in matrimonium collocasse, sed qui tunc temporis his erat moribus, ut subsecutum infortunium prævideri haud potuerit. Juventus sponsi autem tutorem non poterat reddere reum pupillæ suæ damnum perfidum, restituendi, dum sape istiusmodi matrimonia, ubi

sponsus & sponsa in ætatis flore se sibi invicem junxerant, felici gavisa sunt eventu. Neque triginta joachimis tutori in remunerationem datis suspicio collusionis tribuenda, quoniam hoc non adeo insolitum, ut finita tuelæ administratione aliquid in grati animi signum daretur. Tandem licet pæcta dotalia a tutore essent subscripta, tamen exinde non obligaretur ad damnum resarcendum, quoniam & absque consensu tutoris sponsa pacta dotalia valide inire posset. CARPZ. Dec. 143. n. 10. His illustrationis ergo adjectis, facilis nunc erit casus propositi decisio, puta: tutorem honorario non esse privandum, quamvis in matrimonium pupillæ consenserit, quod postea infelicem habuit eventum; modo convinci non possit, eum suæ utilitatis causa pupille ad hoc matrimonium ineundum persuasisse, nam sic non tantum honorarium amitteret, sed & insuper pro ratione circumstantiarum damnum refundendum haberet.

## §. XXV.

*Casus Ximus: Utrum tutor in testamento datus, cui legatum relictum, nibileminus honorarium petere possit?* Hunc casum paucis tetigit MENCKENIVS in d. disp. ib. 17. & ob has rationes in negativam inclinat, quia in dubio ratione officii relictum censetur L. 28. S. 1 ff. de Excus. tut. & quia duæ lucrativæ causæ in unam eandemque personam circa eandem rem concurrere non possunt, §. 6. J. de Leg. verum quanquam cum eo in negativam descendamus, & priorem rationem omnino admittamus; quoad posteriorem tamen non possimus non dissentire, cum illa nobis hoc loco plane inapplicabilis videatur, ubi honorarium inter causas lucrativas plane referri non potest, ut ex descriptione causæ lucrativæ sat eluefcit, per eam enim rem ita acquirimus, ut nihil viceissim præstare cogamus. L. un. C. de impon. lucrat. descript. Lib. 10. tit. 35. Si nunc fiat applicatio, statim in oculos incurret, honorarium nequidem

G 2

exe-

exæquare labores impensos, multo minus me hic quid.  
quam acquirere in cuius vicem nihil præstandum habeo.  
Imo hanc in Jure naturali fundatam non esse regulam  
evidenter demonstravit TREIBER ad §. 6. I. de Leg. Me-  
liore hic posse desumi rationem, ex distinctione inter  
debitum necessarium & voluntarium autumamus. Nam  
quando quæstio movetur: an si creditori aliquid sine  
mentione debiti legatum, hoc animo compensandi sit  
factum? tunc hoc affirmant in debito necessario, negant  
autem in voluntario. BRUNNEM. ad L. 22. ff. solut. matr.  
n. II. CARPZ. P. 3. C. 13. d. 29. Si hæc applicentur, nemo  
non videt, legatum in testamento tutori relictum cum  
honorario posse compensari, quia & hoc propter statutum  
ad debitum necessarium referendum. Et licet haud ignor-  
remus hanc distinctionem a SCILTERO Exercit. §. 39. sepp.  
non admitti: Interim eam tamen ad minimum melius  
ad præsentem quadrare casum, quam quod duæ lucrativæ  
causæ in eundem hominem, eandemque rem con-  
currere non possint ex paulo aute data ratione, nobis o-  
mnino persuasum habemus.

### §. XXVI.

*Casus XIImus: utrum tutor, cui legatum in testamento, in  
quo tutor non erat datus, relatum, & qui postea a magistratu tu-  
tor datus, honorarium & legatum simul pretendere possit?* In hoc  
casu nos affirmativam tueri posse, arbitramur. Nam  
quando tutor in jure propter excusationem a tutela, lega-  
tum ipsi relictum amittere dicitur, tunc hoc tantum in-  
telligendum de tñtore in testamento dato. & cui propter  
rea legatum in testamento adscriptum; ergo si testator  
evidenter expressit, se velle dare atiam si tutelam non ad-  
ministraverit, tunc secus quoque statuendum L. 33. ff. de  
Excus. Contra autem ille, cui legatum sine omni respectu  
ad tutelam in testamento est relictum, & qui postea a ma-  
gistratu vocatur, sed ex legitimis se a munere tutelar ex-  
cusat

causat causis, ille propter excusationem legatum non amittit, quia nihil contra judicium testatoris fecit: nam quem illi non dedit tutorem, eum voluisse tutelam administrare filii, dicere non possumus, sunt verba L. 34. ff. de Ex-  
euf. Hæc fundamenti loci posita, nunc ad casum nostrum applicaturi, ita concludimus: Si ille cui legatum in testamento ab ipso mentione tutela relictum istud propterea non amittit, quia ad dationem magistratus legitimis de causis se excusavit; sequitur ut tutor quoque a magistratu datus legatum & honorarium pretendere possit. Consequentiam hunc in modum probamus: Quia & hic omnino exultat præsumtio, legatum ideo esse relictum, ut tutelam administraret, sed potius ut sine omni conditione testator illud in legatarium transferri voluerit, dum legatum est donatio quadam, quæ a libera defuncti voluntate pendet. Hinc nec a magistratu præsumendum, eum hac mente legatario onus tutelare iraposuisse, ut honorarium huic administrationi constitutum, ex legato accepto compensationem reciperet.

### §. XXVII.

*Casus XIIImus: Utrum heredes tutoris, cui in testamento debitum honorarii loco erat remissum, ut tutelam in se susciperet, sed qui post mortem testatoris etiam mox fatis succumbit, hoc propter conditionem non impletam, solvere teneantur?* Hunc casum maxima laborare difficultate, non negandum. Nam notio notius est testatoris voluntatem exacte esse explendam, cum impium sit, eam negligere L. 7. C. de testam. manum: hinc si sub conditione alicui quid relictum aut remissum hoc deficiente conditione evanescit, quod de casuali conditione a nemine in dubium vocatur; Sed quid de potestativa aut mixta dicendum, non adeo expeditum, ubi communiter distingui solet: an implementum conditionis a facto tertii sit impeditum, an vero a mero casu? Priori casu habetur pro impleta, quia tunc testator præsumitur

G 3

cogit

cogitasse tertium in conditionem consensurum fuisse, posteriori autem desicere dicitur conditio, quia hic ille, cui erat adscripta, nihil ad eam implendam conferre potuit. v. *Illusfr. BOEHM.* in *Introd. ad Dig. tit. de condit. insit. n. 9.* & 10. Sed huic distinctioni *LUDOVICI Doctr. Pand. Eod. tit. S. 9.* opponit *L. 54. ff. S. I. & 2. de Leg. I.* in qua dicitur, legatum deberi, licet servi mors impedivisset manumissionem, quia per te non stetit, quominus perveniat ad libertatem, & propterea hanc æquorem putat sententiam. Ex his adductis ergo luculenter patet, in nostro casu, quæ etiam eligatur sententia, non deesse rationes. Interim, ne eum in suspenso relinquamus, nostra, salvo tamen rectius sentientis judicio, est opinio, heredes tutoris dati, propter non subsecutam conditionem debitum a testatore remissum solvere teneri, quoniam testatoris voluntas pro lege observanda arg. *L. I. C. de S. S. Eccles.* Et hæc in casu dato adeo clara, ut nulla præsumtio testatorem ex alia causa remisisse debitum, locum invenire possit, sed tantum si tutelam liberorum suorum susciperet; ergo ubi mors eum huic administrationi subtraxit, etiam remissio debiti pro extincta est habenda. Neque hic applicari posse, quod paulo ante de conditione mero casu impedita diximus, licet etiam *LUDOV.* sententia esset præferenda, de qua tamen hac vice nobis litem moveri haud patimur omnino arbitramur, dum in nostro casu non est sermo de obiecto, in quo conditio erat implenda, sed de subiecto eam implere obligato, & in quod quadrat. Sublata causa, tollitur effectus. Porro nec urgeli potest, leges priores esse ad absolucionem, quam obligandum, & in remissione debiti multa cessare, quæ alias ad validitatem actus sunt necessaria; nam hoc spectat tantum ad solemnitates quædam observatu dignas, non autem ubi iis non opus est, sed ubi voluntas duntaxat testatoris inspicienda,

S. XXVII.

## §. XXVIII.

*Casus XIII<sup>ius</sup>: Utrum heredes tutoris per aliquod tempore spatiū tutelā jam administrantis & postea morientis, debitum propter tutelam remissum, nihilominus tunc exsolendum habent? In hoc casu duo sunt præsupponenda, sc. utrum testator expressis verbis dixerit: se velle debitum remittere, si debitor ad majorenitatem liberorum suorum administraret tutelam? vel: utrum simpliciter debitum propter tutelam remiserit, nulla addita circumstantia? Priori casu heredes pro rata a judice determinanda, exsolvere debitum tenentur, quia iterum adeo expressa testatoris voluntas se noluisset aliter debitum remittere, nisi impleta conditio, quod vero pro rata aliiquid detrahens possit, hoc ex statuto nostro, secundum quod munus tutelare non est gratuitum, probatur. Posteriori autem casu aequiorem putamus opinionem, heredes tutoris ab exsolutione absolventem, quoniam tunc non sine fundamento præsumendum, testatorem apertius locutum fuisse, si debitum per inceptam administrationem extinctum, iterum reviviscere voluisse. Hoc tamen firmiter statuimus: Tutorē cui debitum propter tutelam remissum, & quam etiam administrare incepit, sed vix per unum alterumve annum, pupilli morte interveniente, continuare potuit, ad illud heredibus pupilli exsolendum non esse obligatum, quia per illum non stetit, quomodo minus tutelam continuaret, ad quod paratus fuit.*

## §. XXIX.

*Casus XIV<sup>ius</sup>: Utrum tutor a magistratu rei sita ad literas subscriptiales a magistratu demicilii pupillo datus, si in loco rei sita tutele esset gratuita, honorarium ex loco domiciliī postulare queat? Tutorē pariter ac pupillum jurisdictioni dantis subjectum esse debere in Prior Sec̄t. §. II, affirmavimus; quandoque*

doquidem vero tutor datus ad bona alibi sita se excusare potest. L. 2. q. 2. ff. de *Excus. tut.* & *judex domicili*, bonis alibi sitis, directo tutorem dare nequit, sed tantum per consequentiam, hinc non inutile quæsumus esse putamus: quid tunc ratione honorarii obtineat, quando a iudice intuitu bonorum alibi sitorum alias quoque datus sit tutor? antequam nostram subjiciamus mentem, quemque intelligere credimus, nos non de eo loqui casu si pupilli pater in duobus locis ita instructus fuerit, ut utroque que domicilium habuerit, uti probat ex L. 5. & 6. S. 2 ff. ad *municip.* & de *incol.* STRICK U. M. Tit. de *Tut.* & *Curat.* dat. S. 7. Wann er an beiden Orten Feuer und Heerd halten läßet. Nam tunc præventioni locus esset, vel si utrinque bona haberet, ab utroque magistratu etiam tutor constitui potest, & per consequens consuetudines cuiusvis loci sunt attendenda. Sed ubi tutor ad litteras mutui compafus a magistratu rei sitæ datus? Ad hunc casum, utinam quæstione propositus, respondendum esse negando, exinde sumus convicti, quia *judex* resistit ad implorationem quidem judicis domicilii civi suæ jurisdictioni subiecto munus tutelare imponit, non autem ita, ut consuetudines implorantis sequendas habeat, sed prout hoc istic loci consuetudo fert: ergo si ibi munus tutelare esset gratuitum, etiam tutor secundum consuetudinem domicilii a pupillo invito honorarium exigere non valet. Contra si in loco domicilii tutela esset gratuita, & in loco rei sitæ honorarium statutum, etiam ex parte ratione tutori honorarium non est denegandum.

### §. XXX.

*Casus XVtus: Utrum tutor alterius jurisdictionis sponte tamen tutelam cum prorogatione fori in se recipiens, honorarium secundum pupilli domicilium recte petat? superfluum plane esset, si ad hunc casum fundandum, multis argumentis*

tis adducendis immoraremur, cum omnes inter se constet, aliquem quoad specialem actum alterius jurisdictioni submittere se posse, & etiam quotidiana praxis comprobet, hoc in tutela prorsus non esse insolens, quare statim hunc casum affirmative decidimus, hac ratione moti, quod tunc tutelam non secundum sui ordinarii fori statuta & a suo ordinario judice acceperit, sed potius uti hoc moris & consuetudinis fuerit, in foro pupilli, unde & porro sequitur, eum ad omnia, quæ ibi circa munus tutelare, sunt recepta, esse obligatum, licet in foro suo ordinario hæc aliter se habeant.

### §. XXXI.

*Casus XVIItus: Utrum tutori honorarium dandum, nec pupillus ipsi operas praestiterit?* In hoc casu decidendo quoque prolixitatem evitaturi tantum ad id respiciendum esse innuimus: an tutor pro operis praefatis pupillum aluerit? vel an sumtus alimentorum suis inservuerit rationibus? prius si factum, tunc compensatio adest, & per consequens honorarium facultatibus pupilli permittentibus ipsi non denegandum; si posterius tunc magistrati incumbit considerare, numne opera præstata tanti possint estimari, ut locum honorarii adimpleant, & si hoc, nihil amplius exigere potest, si vero non, aut si superent, tunc judicis est rem ita componere, ut habita circumstantiarum ratione, suum cuique tribuatur, nam sicuti alimenta de suo non subministrare tenetur tutor L. 3. §. 6. ff. ubi ppill. educ. siveque pupillus operas præstare, pro quibus alias mercedem solvere debuisset tutor, non tenetur. conf. COLER de altm. Lib. 2. c. 6. n. 5. sqq. Eodem modo tutor, si illiusmodi operas in pupilli commodum impenderit, quæ non ex officii necessitate originem habent, v. gr. si esset opifex ex laboribus suis artificiis viatum & amictum sibi quærens, aut advocatus suo patrocinio aliis inserviens, hi, quamvis astimationem

mationem laborum suorum in rationes gestas administrationis retulerint; tamen exinde ab honorario non sunt excludendi, videatur *supr. cit. Disput. MENCKENII* *ib. 1C.*

### §. XXXII.

*Causa XVIIIImus* : Utrum tutor, pubertate pupilli adveniente, curatela in se suscipere recusans, pro sola tutela honorarium recte exigat? Si hic causus ex Jur. civ. decisionem accipere posset, tunc nemo negaverit, tutoris administrationem tantum ad pubertatem durasse, adeo ut qui tutelam alicuius gessit, invititus curator ejusdem fieri non compellatur §. 18. *J. de Excus. tus* : Ast cum hodierna praxis ferre ubiquie contrarium statuat, sicuti testatur *FRANTZKIVS* *Lib. I. Resol. 17. n. 30. sqq.* scribens: Generali Germaniae constitutine pubertate tutela non finitur, sed officium administracionis porrigitur usque ad legitimam etatem adulorum. Sic & secundum illam aliter statuendum. Interim quia nos explicatio articuli cujusdam ex *Jure Stat. Hamb.* tenet occupatos; ergo etiam ex hoc causus propositus est enucleandus. Et in illo *P. III. tit. 6. art. 21.* non videtur omnis differentia sublata, dum expressis ibi verbis dicitur: Alle Vormünder bleiben in Verwaltung solcher Vormundenschaft, bis die Pfleg-Kinder ihr mündig Alter völlig erlanget haben, und nach Ausgang dieser Zeit sollen die Vormünder derofselfen ihrer Pfleg-Kinder curatores oder Vorsorger seyn, bis &c. Ex quibus verbis patet, tutelam quidem finiri pubertate, sed ita, ut etiam invititi curatores maneant, & sic ipso quasi jure secundum hoc statutum tutela in curatela abeat. Ex his præmissis nunc facile intelligendum, quid in nostro casu obtineat, nempe tutorem ex causa insufficiens curatela detrectantem, honorarium exigere haud posse. Nec est, quod quis urgeat, in *præc. art. 20. Juri Stat. Hamb.* ubi honorarium statutum, vocabulum Vormünder reperiiri, quod hi hac remuneratione, finita tutela, gaudere de-

debeant & non Vorsorger, quod proprie ad curatores spe-  
stat, uti in seq. art. 21. nominantur. Nam ad hoc respon-  
dendum: vocabulum: Vormündern: ibi generaliter esse  
acciendum, ut & Vorsorger sub se comprehendat, si-  
cūt hoc ex verbis: Bey Anhörung der Schluss-Rech-  
nung conjiciendum, quæ noue finita tutela solum sed &  
curatela, quam continuare obligatur, accipienda, id. quod  
etiam probatur ex art. 21. und mag der bis dahin gewesenen  
NB. Vormund und Curator, nach gethaner Schluss-Rech-  
nung die Vormundschaft und curation gänzlich abtreten.  
Hoc vero statuadum omnino, Magistratum secundum  
æquitatem, si tutor ex justa causa curatela continuare  
impeditur, honorarium inter tutorem & curatorem ita di-  
videre posse, ut unicuique aliquid in solatium pro cura &  
studio impenso decernat.

### §. XXXIII.

Et hæc essent, quæ ad explicationem & illustratio-  
nem dicti articuli meditati sumus. Utrum vero nos  
nostro satisfecerimus proposito, penes Te, B. L. sit judi-  
cium. Hoc duntaxat unicum a Te humanissimis nobis  
expeditum velimus verbis, ne in eam ruas opinionem,  
quasi aliquid egregii publici juris factum autumaremus;  
verum potius, quæ tua erit humanitas, nos deletiles alio-  
rum spongias serena excepturos fronte, Tibi persuadeas,  
bene gnaros: Nihil homini facilius, quam labi. Quare si  
quid boni præstiterimus, hoc unice DEO trinuno summa-  
rum devotione acceptum ferimus: Sin minus, nostra  
peccatum est culpa. De ceteris quia nostri juris fieri  
cuperimus nunquam, sed sub tutela Altissimi usque quaque  
permanere malumus; hinc calidissima ad eum deponi-  
mus vota, ut illam continuare velit clementissime,  
quo sub ejus directione ac cura, nostrum vitæ curriculum

finiamus. Denique & toto pectore fovemus, ut DEUS  
O. M. Illustrēm Rēpublicam Hamburgensem, patriam  
nostram fortunatissimam ac pulcherrimam, & imprimis in  
illa PATRES PATRIÆ una cum omnibus incolis, nun-  
quam ex sua tutela dimittat, sed eam perennare finat  
benignissime, quo sub Illius regimine pax, salus & felici-  
tas, florem hujus civitatis ad invidiam usque  
continuent, augeant, roboarentque.

## T A N T U M.

### Sphalmata extantiora.

Pag. 2. lin. 6. pro FELISITATIS leg. FELICITATIS,  
p. 11. lin. 8. pro honorum leg. bonorum. p. 11. lin. 30. pro  
ve erri leg. referri. p. 12. lin. 23. pro cicca, leg. circa. p. 14.  
lin. 14. pro jut leg. jus. p. 16. lin. 19. pro RUDOPHI. leg.  
RUDOLPHI. p. 18. lin. 18 pro illis leg. illo. p. 19. lin. 4.  
pro voluatariae leg. voluntarie. p. 21. lin. 4. pro vocatur leg.  
vocatus. p. 4. lin. 24. pro addunt leg. addit. p. 25. lin. 25.  
pro uti litate. leg. utilitati. p. 26. lin. 14. pro administrantis  
postea. leg. administrantis & postea. p. 27. lin. 3. pro graduato  
leg. gratuito. p. 28. lin. 30. pro indigent leg. indigent. p. 30.  
lin. 15. pro acceptio expectatio. leg. acceptio, imo expectatio.  
p. 30. lin. 22. pro justus leg. justus. p. 30. lin. 17. pro conti-  
nuatur leg. continueatur. p. 31. lin. 2. pro re leg. ne. Ibid.  
pro afficium leg. officium. p. 33. lin. 1. pro pupilli leg. pupil-  
lo. p. 33. lin. 6. pro remuneratic leg. remuneratio. p. 33. lin.  
22. pro patrum leg. patrii. p. 34. lin. 13. pro difficultatem  
leg. difficultatem. p. 37. lin. 2. pro distrahatur leg. detrahatur.  
p. 38. lin. 3. pro diligentem, istiusmodi, leg. diligentem, &  
istiusmodi. p. 47. lin. 9. pro solet, leg. solet.

Præ-

Prænobilissimo nec non Doctissimo

DOMINO  
DOCTORANDO,

Fautori, Domestico, & Amico suo Honoratissimo,

S. & O.

PRAESES,

SI, quemadmodum profecto est, veram: Aquilas non  
gignere columbas, & statim TE, Amice astuma-  
tissime! multis efferendi laudibus, me non deficeret  
materia. Felicem enim merito celebri pro sapia oriun-  
dum judicant mortales, non quasi splendor ac jubas  
Majorum, semper commitaretur Postiores; sed quo-  
niam iunc habent, unde ad virutis viam calcandam,  
ac familiæ decus continuandum, capere possunt hori-  
mina & incitamenta. Non itaque a vero me ab-  
sudere, Amice savissime! guttum, si ego hoc ex ca-

pite

pite TE felicem, immo felicissimum estimem. Majores,  
sive Patrem, sive Avum, sive Proavum, sive Aba-  
vum & alterius specie, veneraris, quorum memoria  
posterioritate ipsa crevit, ac quorum merita jamadum  
Möllerianum nomen, in Illustri Republ. Hamburgen-  
si reddiderunt immortale. Eloquitur illorum laudes cu-  
ria, & adhuc quasi presentes sisit, & eloquuntur eas  
summa dignitatis officia, felicissimo ipsis concredit a fu-  
cessu. Nam quoties domi in moderandis civium a-  
ctionibus eorum eligebatur industria, roties omnia ad  
utriusque partis componebantur delectationem; quoti-  
es foris apud summos Imperantes Reipubl. Hambur-  
gensis salus poscebat viros sagacissimos & longo rerum  
usu subactos, communum ejus observatores, pericu-  
lumque imminens declinaturos; roties omnibus ex re-  
bus, etiam fere inextricabilibus, ita se sua illi expe-  
dierunt vigilancia ac prudentia, ut hujus ardui officii  
eventus semper esset prosperrimus, ac insuper summo-  
rum principum nibilosecū sibi inconcussum retinerent  
gratiam. Atque cum horum Majorum imaginibus hu-  
cusque certasti, non quidem ut iis plus lucis, nam hoc  
fieri vix potest, adferres; sed ne mutuato ab his lumi-  
ne, siderum instar solis radiis splendentium, rantium ful-  
geres, proprio carens lumine. Quid ergo mirum!  
quod studia haud vulgaria TIBI acquisitionisti; quan-  
doquidem hisce adactus stimulis, & ravioris aevi, ac  
prudentie magistris, ab ineunte aetate inutritus, fa-  
cile sublimia sapere potes. Hamburgi viros in TE for-  
mando atque erudiendo natus es callentissimos, om-  
nibusque emollendos encomiis dignissimos, qui in studi-

isuri vocant humanioribus, TE adeo versatissimum e sua  
dimiserunt cura, ut oratio tua valedictoria omnium  
applausu habita, illorum pariter ac tuæ diligentie es-  
set prece dexterimus. Deinceps Halam omnium bo-  
narum artium ac Musarum Jadem celeberrimam, TE  
conferens, iterum ab ore virorum de re litteraria im-  
mortaler meritorum, ac longe supra omnes meas lau-  
des positorum, pependisti, Et per triennium Themidis  
Sacra ita frequentasti, ut intimioris TE quisque dig-  
num judicaret admissionis. Tandem ubi Halam jussu  
matri dilectissima, Matrone omni muliebrium virtu-  
tum laude cunctatisse ac conspicua reliquens, no-  
stram ingrediebaris Almam, tunc mihi demandabatur per  
anni spacium tuis studiis laudabiliter jam excultis,  
ultimam adjicere manum, Et promeritos TIBI con-  
ferre honores. Hinc meo satisfactorius officio, nec operi nec  
operae pepercit, ut quantum per temporis angustiam lice-  
ret, ingenii TUI exercerent vires. Experiens quoque sum  
in TE Virum juvenem, præter morum suavitatem Et  
elegantiam, ad quævis summa apium, Et literas haud  
perfunctionie tractantem i.e. talen, quem insitus sciendi  
ardor, perquirende industria, judicandiisque solertia  
commendant. Quare anno destinato elapo, TE FCIati  
juridicæ ad examen rigorosum stiri, quod Et non sine  
magna sustinuisti laude, ut quisque ex tua erudita  
disputatione inaugurali, in qua fine cortice natastis  
perspicere potest, Et quam mox defensurus es mascu-  
le. Gratulor ergo TIBI de tua haud vulgari eruditio-  
ne, Et quod virorum prosapia tuae heredem TE præ-  
bas, ac insuper summum veneror Numen, ut Et Ma-  
jorum

orum tuorum gloria in TE resplendescat; Et felicitas  
omnibus numeris absoluta, tuos usquequaque comite-  
tur conatus, quo mibi subinde TIBI gratulandi nasca-  
tur materies. Hisce jam meas clando gratula-  
torias, nequaquam autem affectum, quem TIBI eter-  
num debo ac spondeo, nullus dubitans, quin et tuum  
mibi illibatum semper servaveris amorem,

Vale! Icribebam Rostochii III. Calend.

Maii ccccccxxxviii.



Rostock, Diss., 1736-38

f



5b.



Farbkarte #13

Green

Cyan

Blue

Black



DISSE<sup>846</sup>TATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA,  
DE

MVNERE TVTELARI  
HAVD GRATVITO,  
EX JVRE STATVTARIO HAMBVRGENSI,

P. III. Tit. VI. Art. XX.

QVAM

ANNVENTE DIVINA GRATIA,  
AVCTORITATE ET CONSENSV

INCLYTI JVRIIS CONSVLTORVM ORDINIS  
INCELEBERRIMA ROSTOCHIENS<sup>181</sup>  
ACADEMIA,

SVB PRÆSIDIO

MATTH. BENONI HERING,

J. V. D. ET PROF. COD. DVCAL. PVBL. ORD. AC FA-  
CVLTATIS JVRIDICÆ h. t. DECANI,

PATRONI AC STVDIORVM SVORVM PROMOTORIS  
HONORATISSIMI,

PRO SVM MIS IN VTROQVE JVRE CONSEQUEN-  
DIS HONORIBVS AC PRIVILEGIIS.

D. 6. MAJ. ANNO 1738.

H. L. Q. C.

PUBLICO ERVDTORVM EXAMINI SISTIT

HIERONYMVS HARTWIG  
MOELLER.

Hamburgensis.

ROSTOCHII,

Typis IOH. IACOBI ADLERİ, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

15